



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1719

urn:nbn:de:gbv:46:1-7443

BREMÆ

Historico-Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Secundæ

FASCICULUS QUARTUS.



BREMÆ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII,

Typis HERMANNI BRAUERI, JUN. MD CCXIX.

V I R O

*Celeberrimo & Plurimum
Reverendo*

FRANCISCO

BURMANNO,

Francisci Burmanni Filio,

Myfteriorum divinorum Doctori
& in alma Ultrajectina

**PROFESSORI PUBLICO
ORDINARIO**

famigeratissimo,

Non tantum nominis & spartæ
fed & laudum paternarum doctrina, vir-
tute, voce, scriptis, ipsoque
opere illustri

H Æ R E D I,

VERITATIS VINDICI,

ECCLESIAE SOLAMINI,

**ORBIS CHRISTIANI AC LITERATI
DELICIO.**

Nonum hunc hujus

BIBLIOTHECAE
FASCICULUM,

Ut publicum hoc venera-
tionis atque existimationis suæ te-
stimonium affectusque mini-
me infucati pignus ex-
hiberent,

sed insimul

Collectionis hujus patrocini-
& ad eam studiorum sacrorum com-
muniū promovendi ergo porro
instruendam ornandamq;

qua pars est observantia

symbolam exposcerent

Offerre voluere

EDITORES.

Con-

Continentur hoc Fasciculo.

- I. *Lud. Christ.* MIEGII Observationes sacræ p. 585.
- II. *Bernh. Petr.* KARLII vera ordinis ac temporis Apocalyptici ratio. p. 598.
- III. *Frid. Christoph.* NEUBOUR de battologia Ethnicorum ad illustrationem Matth. VI. 7. Accedunt notulæ & appendicula editoris. p. 612.
- IV. *Gerh.* OUTHOVII in Ps. II. 7. observationes, ubi potissimum de voce כִּי disceptatur. p. 641.
- V. *Frid. Ad.* LAMPE de cornu salutis *fulgido* meditatio p. 680.
- VI. Historia vitæ *Hermanni Alexandri* RÖELL. p. 707.
- VII. Refutation du Commentaire Philosophique de Mr. Bayle par Mr. NAUDE lib. rec. p. 723.
- VIII. ANONYMI de eodem NAUDÆI libro ad *Theod. Hasæum* epistola p. 741.
- IX. *Herm.* DEUSINGII Moses Evangelizans liber recensitus p. 752.
- X. Relatio de mirabili sanatione mulieris in ptochotrophio Bremensi p. 759.
- XI. Catalogus librorum novorum p. 769.

EDITORIS



I.

LUDOVICI CHRISTIANI
MIEGII,

*Consiliarii Ecclesiastici Archi-Palatini
SS. Th. D. & Prof.*

OBSERVATIO-
NES SACRÆ,

SUMMARIUM.

§. 1. Gen. II, 3. illustratur. Emphasis vocis עשה §. 2.
Gen. VI, 3. lux affunditur , נדן *habitare*. §. 3. Inde
explicatur πνευματικὸς I. Petr. III, 19. §. 4. Novæ
de נאמן in Jes. VII, 19. cogitationes. §. 5. Quid
sint ἀγνοήματα Hebr. IX. 3. Hircorum Trium in fe-
sto expiationis distinctio. §. 7. 8. Μεταμύχως
Pharisæorum ex doctrina de typis promanavit. §. 9.
Cujus auxilio Erasmus scriptum de libero arbitrio
confecerit. §. 10. Fabricii Euclides Catholicus quan-
to in pretio Anglis fuerit. §. 11. Ingenia Virorum il-
lustrium futura quandoque prævidere exemplo Ca-
roli Ludovici Electoris Palatini docetur.

Gen. II. 3. אשר ברא אלהים לעשות. Ver-
bum לעשות non videtur frustra adje-
ctum. Non Gerundium explicativum
Class. II. Fasc. IV, Pp טז

עד ברא est, quia illud latius patet, unde potius לברא עשה ponendum fuisset. Non dicimus : *pinxit hominem faciendo, sed fecit pingendo.* Optime redditur per Gerundium in dum; *Quievit Dominus ab omni opere suo, quod creavit ipse AD AGENDUM vel AD FACIENDUM.* Scilicet, Deus ipse non amplius novas producit species, sed indidit vim sui multiplicativam rebus ipsismet. Ita eas creavit, ut postmodum ipsæ agerent, seque auferent. Ita scilicet verbum illud & alibi occurrit. Deut. IV. 1. אשר אנכי מלמד *quod docui vos ad FACIENDUM ILLA.* Conf. Jer. XI, 1. הדבר אשר היה אל ירמיהו *ut diceret illud ad populum.* Scilicet hæc Dei mens est, ut quoniam ipse suum opus perfecit, creaturæ ejus sub Deo nunc etiam, quod ipsis incumbit, conficiant. Et creaturæ quidem irrationales promte Deo obediunt, atque secundum legem naturæ & regulas motus ita agunt, ut inter defectum rationis propriæ summa Dei ratio & sapientia in illis eluceat. Quanto magis hoc rationalibus creaturis incumbent, quibus לעשות ipsa ratio concessa fuit. Possent tamen etiam illud ad Deum referri, *ut quæ creavit tum posthac perficeret ipse.* Id עשה notat. Hac Gerundium illud refertur Deut. I, 14. שוב הדבר אשר דברת *Bonum verbum, quod dixisti ad faciendum illud.*

§. 2. Gen. VI. 3. לא ידון רוחי באדם בשם הוא *בשר*

נִשְׂר reddi etiam posset : *An nunquam in perpetuum judicaturus est Spiritus meus hominem, ac si etiam ipse, ille meus Spiritus caro esset.* Judicium enim etiam Spiritui tribuitur Joh. XVI, 8. & diuturna longanimitas Dei, qua vasa iræ tolerat, ita à peccatore explicatur ac si peccatis vel delectaretur Deus, vel ac si saltem ea peccatorem Deo tam exosum non reddant. Psalm. L, 21. Ita locum B. Parens meus alicubi exposuit. Conf. Esa. IV, 4. ubi forte ad duplex universale judicium Spiritus, prius per aquam, posterius per ignem in typis Sodoma, Hierosolyma, Mal. IV, 1. & in antitypo, regno Anti-Christi, mundo, servatis tamen fidelibus, ut Lotho, exercendum, duplici etiam & lustrationis Num. XXXI, 23. & baptismi Matth. III, 11. symbolo in memoriam revocatum & præfiguratum respicitur. Sed ut ingenue fatear illa veterum versionum interpretatio : *non permanebit Spiritus meus in homine, quia etiam ipse, homo & omnis & qui Filius Dei etiam audit, caro est, convenientior videtur.* Finitimæ voces finitimum sensum habent. נִרְן habitare, permanere notat, unde נִרְנָה & *vaginam* dicit, quia gladius in vagina reconditur & *corpus*, quia anima in corpore moratur. Dan. VII, 15. אֲחַכְרַת רוּחִי אֲנֵא דְנִיָּאֵל *Transfixus est mihi Danieli intra vaginam Spiritus meus, id est; in corpore meo.* Ita & verbo נִרְן talis sensus subesse posset. Et si id ob defectum exempli negaretur, dici posset,

futurum hoc verbi יָדַע esse. Ita Saadias Gaon, & R. Salomoh ben Melech. Et hic equidem dici debuisse scribit יָדַע ad formam וְיָדַע sed ו quod dageffari debuisset aspiratum mansisse, non tamen sine exemplo. Ita enim וְיָדַע dici pro וְיָדַע .

§. 3. Adidamus hisce cogitationibus conjecturam ex Scriptura. Ita enim I. Petr. III, 19. legitur. $\text{Ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύματος}$ (Steph. Codd. & I. Velefii legunt πνεύματι) πορευθεὶς ἐκήρυξε : *etiam tum cum Spiritus Christi abitum discessum, meditaretur, minaretur* (longanimitatem tamen suam demonstraturus per concessum spatium 120. annorum, unde forte traditio de mundo per 6000. annos ceu totidem Jubilæos duraturo fluxit) *prædicavit illis, qui nunc in carcere sunt* &c. Ubi vero hoc indicatur? Ἡλὸν sequi solent Apostoli, nil de suo addunt. Scilicet id Moses verbis יָדַע לִי לִי לִי LXX. ὃ μὴ καταμείνη , *minime permanebit Spiritus meus* indicare videtur : sive admittatur expositio verbi, quæ apud veteres exstat, atque permanendi sensu sumatur sive modo indicato verba per interrogationem reddantur : *Nonne tandem judicabit Spiritus meus?* sive etiam indicetur, Spiritum litigio cum hominibus non ulterius inhæsurum, arguendis & exprobrandis sceleribus hucusque nihil profecisse, pœnis proin coerendos esse reapse, quibuscum locus apud Ovidium l. 3. Metamorph. conferri potest :

*Profeci quid enim toties per jurgia? dixit,
Ipsa petenda mihi est, ipsam, si maxima Juno
Rite vocer, perdam --- ---*

Et commode Petrus hanc emphasin urget eo tempore, quo præconium & confessio Evangelii crucis à timidis quibusdam Christianis sub obtentu frustranei successus inter Judæos exitio destinatos intermittebatur. Conf. vs. 14. 15. Ita in eadem historia τὸ ῥητὸν observavit Paulus, quando Noachum τῆς κατὰ πίστιν δικαιοσύνης κληρονόμον ejus quæ secundum fidem est, justitiæ heredem condemnato per eum mundo factum scribit. Hebr. XI, 7. Scilicet quia post datum oraculum de delenda carne per aquas diluvii, facienda arca, se salvando in ea, tanquam typo Christi & Ecclesiæ illius solus Noachus credidit & hoc prædicavit, & hujus consequens, quod illum scilicet solum perspexerit justum coram atate hac. Gen. VII, 1.

§. 4. Es. VII, 9. אִם לֹא תִאמְנֵנוּ כִּי לֹא תִאמְנֵנוּ, Septem diversis hujus loci expositionibus, quas Cel. Vitringa in Comment. ad h. l. proposuit, aliam addere liceat. *Si non*, (scilicet id fiat, quod vs. 8. promitto etiam sub asseveratione certissima, quam certum est hoc tempore Damascum esse Syriæ caput, & Rezin Damasci, tam certo Ephraim intra 65. annos vastabitur) *tum demum credetis, quod vobis fides non sit præstita.* Nec enim Niphal אִם tantum ad operationem fidei in fidelibus, sed etiam ad implementum promissionis respicit. Hoc

sensu evidenter in gemino loco sumitur 2. Chron. XX, 20. וַיִּמְנֹוּ, *Credite in Jehovam Deum vestrum* וַיִּמְנֹוּ & promissam implebitur, *credite in Prophetas ejus*, וַיִּמְנֹוּ & prospere agetis. Saltem hac emphasi Es. LV, 3. וְהָיָה כִּי יִשְׁמַע דָּוִד בְּנֵי דָוִד דָּוִד דָּוִד *Davidis gratia non modo vera, sed & verificata, certificata dicuntur. Quam emphasin in Niphal tanto magis continebit, quod ipsum Amen illam quandoque possidet. Ita omnes promissiones in Christo & vai dicuntur, quia propter Christum prædictæ, & Ἀμήν, quia in Christo impletæ sunt, 2. Cor. I. Sic Deus Amen non is tantum est, qui promittit, sed etiam qui promissa implevit. Nihil autem frequentius, quàm ut signa distinctionis ad primas voces, maxime interrogationes & istiusmodi asseverationes ponenda sint. Conf. Act. XXVI, 8. Τί ἀπίστον κήνεται παρ' ὑμῶν εἰ θεὸς νεκρῶς ἐγείρει, quæ verba, quod Pricaus pluribus exemplis docuit, evidenter ita reddi debent. Quid? incredibile judicatis, quod Deus mortuos resuscitet?*

§. 5. Hebr. IX, 7. Ἐἰς δὲ τὴν δευτέραν ἀπαξ τῆ ἐνιαυτῆ μόνον ὁ ἀρχιερεὺς ἔ χωεῖς αἱματῶ, ὁ προσφέρει ὑπὲρ ἑαυτῆ καὶ τῶν ἱερέων ἁγνοημάτων. Ex hisce verbis & quod pro ἀγνοήμασι saltem in ipso festo expiationis sacrificia oblata sint, Sociniani concludunt, quod sacrificia leviora saltem peccata expiaverint & proinde typi sacrificii Christi esse non potuerint, ne ex sacrificiorum istorum ceu typicorum collatione,
pec-

peccatorum nostrorum expiationem Christi morte factam agnoscere teneantur. Jam equidem illis hoc ipso satis occurri potest, quod super hirco emissario non aliqua vel leviora saltem, sed omnes iniquitates filiorum Israel & omnia delicta ipsorum secundum omnia peccata ipsorum Pontifex confiteri jubeatur. Levit. XVI, 21. 22. Hircum enim istum utcumque non fuerit in sanctuario immolatus, sacrificiis tamen accensendum esse negari nequit. Quod autem Paulus ἀγνόηματα vocet illa peccata, pro quibus Pontifex in solenni isto festo expiationem fecit, qua maxime voce Socinianorum assertio nititur, ejus causam non satis clare expositam vidi. Utcunque enim omne peccatum cum ignorantia quadam sive theoretica sive practica conjunctum sit, & omnis peccans ex Scholasticorum axiomate sit ignorans, ut accurate probat Turretinus de satisfactione Christi disp. 9. §. 7. 8. 9. hoc tamen generali sensu Apostolum hac voce hinc usum fuisse ferme ἀγνόηματα dixerim, si quis asseverare vellet. Plus enim quam probabile est, Paulum traditionum Hebraicarum gnarum & ad eorum ritus ubique in hac epistola respicientem doctrinam Magistrorum ob oculos habuisse.

§. 6. Nimirum in Mischna Schevuoth. cap. 1. docetur, alia peccatorum genera fuisse, quorum expiationi hirci festorum, alia quorum hirci Noviluniorum, alia quorum hirci

expiationis destinati essent, & inter hircos
 festi expiationum illud iterum discrimen inter-
 cedere, quod cum tres secundum legem Le-
 vit. XVI, 5. Num. XXIX. 11. fuerint tum in
 sacris hisce adhibiti, unus immolandus more
 vulgari in atrio, cujusque sanguis non infere-
 batur in adytum, quem vocant שְׁעִיר הַנְּעֻשָׁה
 כַּחוּע: alter, cujus in atrio immolati sanguis in
 sanctum Sanctorum deferebatur dictus שְׁעִיר
 הַנְּעֻשָׁה בַּפְּנִים: tertius qui vivus in desertum
 mittebatur שְׁעִיר הַמִּשְׁתַּלַּח; primus illorum
 peccata illa, quæ ignorantiam antecedentem
 scientiam autem subsequenter haberent ex-
 piaverit: secundus respectu peccatorum quæ
 haberent antecedentem scientiam & subse-
 quentem ignorantiam vim non quidem expi-
 andi, sed vindictam differendi habuerit, do-
 nec redeunte scientia sacrificium variabile
 עוֹלָה וְיֹרֵר in expiationem offerri potuerit.
 Voluntariorum equidem etiam peccatorum,
 sed maxime eorum, quæ in contaminatione San-
 ctuarii & vasorum sacrorum per hirci illius san-
 guinem illatū expiationem Israelitas obtinuisse.
 Cum primis tamen tertium hircum emissari-
 um super quo etiam solo confessio peccato-
 rum recitanda erat, eò inserviisse, ut per
 eum omnia reliqua peccatorum genera, leviorum
 & graviorum, voluntariorum & per imprudenti-
 am commissorum, notorum & ignotorum, legibus
 seu affirmativis seu negativis contrariorum, tam il-
 lorum quæ sub excidii, quam quæ sub supplicii capi-
 talis

talis pœna prohibita expiarentur. Mischn. Sche-
 vuoth cap. I. §. 6. Cum ergo Apostolus de il-
 lo sanguine loquatur, quem Pontifex in san-
 ctum Sanctorum semel quotannis ingrediens
 secum eò detulisset, nulla alterius hirci *τὸ ἀπο-
 ποιπαις* mentione facta, potuit ex Magistrorum
 doctrina *ἀγνοήματα* sola nominasse, circa quæ
 illi cum quibus ipsi res erat sanguinis illati
 usum præcipue versari tradebant, ut tamen
 & reliquis peccatis voluntariis & gravio-
 ribus suam eapropter expiationem hirci vide-
 licet tertio emissario deputatam, & sanguini
 etiam in sanctum Sanctorum illato ulteriorem
 ejus efficaciam, præstantioremque sermonem
 quam sanguini & Abelis & sacrificiorum ab
 Abele erat negare haud intendent.

Quædam ex Historia Vetere, Re-
 centiore subjungamus.

§. 7. *Μετμψύχων* tradidisse Phariseos ex-
 plorata res est. Quamvis enim Cel. Relando
 visum fuerit transitum animæ *εἰς ἕτερον σῶμα*
 à Phariseis secundum Josephum traditum de
 animarum immortalitate explicandum esse,
 quod corpore hoc relicto in corpus aliud glo-
 riosum scilicet, non substantia, sed qualitati-
 bus diversum transeant, *fides* tamen *μετμψυ-
 χώσεως* teste Menasseh ben Israel in Nisch-
 math Chajim fol. 152. col. 2. *fides totius cœtus
 congregationis ipsorum est*, haud dubie ut tradi-

tiones, liberum Arbitrium & similia ex Pharisaismo in Judaismum translata. Unde vero error ille in scholas Judæorum irrepsit, quaeri posset. Pythagoreis tribuitur, Pythagora tamen antiquior. Simeonem Ben-Setah ex quo redux ex Ægypto fuerat Pharisaismo novam formam dedisse Cel. Triglandius in dissert. De Kareis probavit. Inde peti potuit à Simeone. Nam Ægyptii ab Herodoto in Euterpe pro auctoribus hujus dogmatis habentur. Bene hactenus, quod cum Symbolica Theologia conveniat. Sed si Judæis credendum, v. Nischmath Chajim fol. 171. Ægyptii & Gentes dogma ab Abrahamo didicere.

§. 8. Id si sit, pura dogmatis scaturigo fuit, impurius in decursu flumen redditum. Scilicet ex convenientia tam naturali ingenii & *φρονήματα* unius cum altero, liberorum cum Parentibus, tum typica, qua ex institutione Dei unus alterum retulit, saltem inter Judæos ortum dogma videtur. Anima nomen ingenium & *φρόνημα* notat. Die Sabbathi *נשמה יתירה* superfluum animam eos consequi scribunt etiam vetusti Judæorum Doctores in Taanith fol. 27. 2. Id Menasseh Ben-Israel recte de *תוספות השכלה* *augmento prudentia* explicat l. c. p. 53. Fertur inter illos animam Adami in Davidem, Davidis in Messiam transire, scilicet quia Adamus & David typi Messiaë fuerunt, *τύποι τῆς μέλλοντος*. Id confirmat alterum illud metempsychosis genus, quod à Cabbalistis

listis עביר transitus dicitur. Ita vocant non animæ ipsius, quæ עיקר הנוף fundamentum corporis dicitur, sed additamenti cujusdam transitum. Scilicet quando tota persona destinata erat ad repræsentandam aliam נלגול vocabatur, sed quando una tantum actione referebat aliam עביר dicebatur. Ita animam Pinehasi per עביר transiisse volunt in Eliam, scilicet quia una tantum actione Pinehasus Eliam retulit. V. Nischmath Chajim fol. 159. c.2. & Eisenmengeri entdecktes Judenthum Part. II. c.1. Atque utinam hoc sensu non in vivis etiam, ut in Nebucadnezare, tam frequens transitus ab anima hominis ad cor bestię cerneretur!

§. 9. Cujus auxilio Erasmus scriptum de Libero Arbitrio confecerit, epistola inedita ad Ludovicum Berum indicat his verbis.

D. Præposito (Ludovico Bero.)

§. Amice Incomparabilis. Mitto ad te primam manum nugamenti de Libero Arbitrio. Hic perdididi dies quinque non sine magno tedio. Sciebam me non versari in mea barena. Rogo dignere inspicere & indicare, ubi à toto scopo aberraverim. Nolim tamen hoc ad alios permanere. Benè Vale.

§. 10. De Cel. Joh. Ludovici Fabricii Euclide Catholico varia variorum fuisse judicia notum est. Haud parum in honorem ejus cedit, quod non modò in sermonem Anglicum

cum conversus fuerit, sed & quod Author
versionis auctorem libri Anglum esse dixerit,
quod putaverit tanti ingenii foetum non ab
alio, quam Anglo potuisse conscribi. Ita
enim in versionis (a) Anni 1673. praefatione
Author ille scribit:

„But our Author both bears another name,
„and is by Nation an English man (and why
„then should so much wil and ingenuity of
„their own behid from the English, or only
„revealed to a few!) of no ignoble family,
„who enticed by the crafty arts of those emis-
„saries was not only initiated in the Mysteries
„of the Papa! Iniquities, but bred up in them
„even to surfeit and lothing, till growing up
„to riper judgement, they could no longer
„impose upon him those portentuous princi-
„ples of Popery, which not only holy writ,
„but sober Reason utterly abhors &c.

S. II.

(a) Possideo hujus libri editionem Anglicanam, im-
pressam Londini 1676. forma quadrifariam divisa.
In ejus praefatione, quae ex Anglicano videtur ex-
pressu esse, eadem leguntur: *Quin Et alio nomine
autor hic noster est. Natione sc. ANGLIUS (quid
mi enim tantum ingenium Angliae nostrae asseram, gra-
tulerque?) Facete, lepide, laute, nihil supra! Belgi-
ce hic quoque liber prodiit, qui in titulo nomen
prae se fert; Jani Alexandri Ferrarii, sub quibus vo-
cibus Auctoris nomen delitescere, linguarum periti
facile olfacient. Vide de illo J. H. Heideggeri Hi-
storiam vitae Fabricianae p. 58-64. T. d. H.*

§. II. Ingenia Virorum illustrium futura quandoque tam acute prævidere, ut quam proxime ad Prophetiam accedat, Seren. Elector Palat. Carolus Ludovicus suo exemplo edocuit. Cum enim Jubilæum Acad. Heidelb. anno 1676. celebrare voluisset, quod ab Auctore Historico ad Annum 1376. origo Academiae relata fuerit, sed Cel. Fabricius in literis responsoriis evicisset, anno 1386. demum Academiam institutam fuisse, sperassetque etiam anno 1686. Carolum Ludovicum Jubilæum hocce celebraturum, Elector sua manu apposuit: *Chur-Pfalk wird zu der Zeit das Jubilæum im Chor der Kirchen zum Heil. Geist mit stiller Music halten / wann anders die Hypergryphische Völcker seine Gebeine ruhen lassen. Nec enim decennium à Jubilæo effluxit & ossa ejus ex monumentis illius disjecta fuere.*

BERNH. PET. KARLII,

Past. Esensis,

Ἀπόδειξις τῆς Ἀποκαλυπτικῆς χρονολογίας

Sive

**VERA ORDINIS AC
TEMPORIS RATIO,**

quò

*Primaria Apocalypseos Visa, (atque
adeo illa quoque Apoc. 20. de Mil-
lenio ligati Draconis & Gogo
ac Magogo, &c.)*

Ex Spiritûs S. intentione decurrant,
novâ methodô

Septem Propositionibus demonstrata.

I. Cor. 10, 15.

Ὡς φρονιμοῖς λέγω, κενάτε υμῖς
α λέγω.

Propositio I.

EA, quæ Apocal. 21. & 22. solenne il-
lud *judicium*, quod Apoc. 20, 10. ff.
describitur, in continenti ita sequun-
tur, ut uno quasi Spiritu cum eo co-
hæreant, (Conf. d. C. 20, II. cum C. 21, I.)
videlicet, prophetiæ de novo cælo, terraque no-

va, & de Sancta Civitate, Hierosolymâ novâ, a^o
 Deo e cœlo descendente, περιδηλα omnino sunt^o
 iis, quæ Dan. 7. iudicio consimili, v. 9. ff. de-^o
 scripto, subtexuntur: (nimirum, Viso de-^o
 regno consummato Christi & Ecclesiæ, v. 13.^o
 14. ejusque expositioni, v. 18. 22. & 27. ibid.)^o
 nec non iis, quæ apud Ezechielem a C. 40.^o
 usque ad finem leguntur.^o

Consectarium I. Ergo non minùs Apoc. 21. &
 22. quàm Dan. 7, 18. 22. & 27. ut & in dictis Capi-
 tibus Ezechielis, status Ecclesiæ hîc adhuc ante
 diem extremum παντοκρατικόν expectandus, de-
 scribitur. Quod rectè etiam Veteres quidam
 interpretes, (Petrus Olivi, apud Baluzium,
Miscell. L. I. p. 216. Alphonfus Conr. Mantua-
 nus, & Jac. Brocardus) juxtâ cum novis qui-
 busdam, observârunt.

Consect. II. Ergo huc etiam pertinent *Sigillum*
 VII. Apoc. 8, 1. cum parte Visi antecedentis,
 C. 7, 15--17. itémque *Tuba VII.* Apoc. 11, 15. ff.
 quæ mysterium Dei, (regnum Christi) se-
 cundùm omnia Prophetarum oracula absque
 ulteriori tunc mora consummabit. Apoc.
 10, 6. 7.

Propositio II.

Vicissim *judicium* illud, Apoc. 20, 10. ff.^o
 præparatorium nempe ad statum illum no-^o
 væ Hierosolymæ, de cœlo descensuræ,^o
 (quippe illud in continenti excipientem,^o
 Apoc. 21, 1. 2. coll. cum d. C. 20, 11.) paral-^o
 lelum est iudicio illi, Dan. 7, 9-11. picto; ceu^o
 quod

„quod itidem, quâ ratione status ille regni
 „Dei pacatus & felix, ibi v. 13. 14. 18. 22. 27. re-
 „præsentatus, in ecclesiam sit introducendus,
 „describit.

Consect. I. Ergo tam in Apocalypsi, quàm
 apud Danielelem, II. dd. verbis, ab extremo
 quidem & universali iudicio mutuatis ac trans-
 latis, iudicium tantum particulare in Eccle-
 siæ hostes) unde & *mortuorum* duntaxat dicitur,
 v. 12.) exercendum, pingitur.

Consect. II. Ergo & *resurrectio mortuorum*,
 Apoc. 20, 12. s. cum isto iudicio conjuncta, vi
 relatorum, non nisi *mystica* esse potest; adeoque
 priori resurrectioni, v. 4. & 6. analogâ: prout
 & ibid. v. 5. verba illa, *οἱ λοιποὶ τῶν νεκρῶν* (non,
οἱ νεκροὶ, alii mortui, sed) *reliqui istorum mortuo-*
rum, omnino postulant.

Consect. III. Ergo & *iudicium* illud Apoc. 20,
 4. memoratum, haudquaquam idem illud est,
 quod Dan. 7, 9. ff. describitur: cum ibi neque
 Christus, quasi *throno sedens* compareat, neque
libri aperiantur, neque ecclesiae hostes damnen-
 tur & supplicio extremo tradantur; (uti in
 eo, quod apud Danielelem est, iudicio;) neque
 regnum ab omni porro hostium infestatione
 in omnia secula tutum habeat conjunctum;
 (uti illud Danielis habet;) sed certâ annorum
 periodo circumscriptum, eâque finitâ, novis
 rursus motibus turbandum.

Consect. IV. Ergo huc etiam pertinet *Sigil-*
lum VI. Apoc. 6, 12. sqq. & *Vindemia*, Apoc.
 14, 17.

14, 17. ff. itemque *Phiala* VII. C. 16, 17. ff. nec non expeditio illa Christi C. 19, 19-21. ut & quædam in *Tuba* VII. memorata, C. 11, 18. 19. regnum Christi consummatum, idemq; ecclesiæ gloriosum, proximè anteverfura.

Propositio III.

Porro & *bellum*, Apoc. 20, 7. 8. 9. nec non Dan. 7, 7. 19. 21. 25. descriptum, quod iudicium modò dictum utrobique ἀμέσως ante- cedit, eòque tandem finitur, unum idémque est, & idem quoq; illud, quod Ezechiel C. 38. & 39. περιλήλων, iis quæ sunt Apoc. 20, 8. 9. (uti ex collat. Ezech. 38, 2. 4. 8. 22. & C. 39, 1-6. liquet,) idque ibidem ἀμέσως ante beatam illam renovatæ ac restauratæ ecclesiæ novissimi temporis conditionem, statim post illud futuram, imò ex eo proventuram, (quæ Capp. ibi seqq. usque ad libri ejus finem, sub imagine restaurati templi & civitatis sanctæ, item postremis duobus Apocalypseos capitibus περιλήλων, pingitur,) describit.

Consectar. I. Ergo iidem quoque *hostes* sint, oportet, qui tum Apoc. 20. atque Ezech. 38. & 39. tum apud Danielelem, d. C. 7. Ecclesiæ bellum dictum inferunt: quique adeò Dan. 7, 7. 8. *Bestia δεκάκρεως* & *cornu parvum*, inter decem illius cornua *procrefcens*, os suum in blasphemiam solvens, belloque sanctos persequens, dicuntur, a *Magogo* & *Gogo*, apud Ezechielem, l. d. & Apoc. l. d. parum aut nihil differunt; sed tam cum illis, quam cum *Bestia*

Apocalyptica, (itidem *decicorni*, Apoc. 13, 1. C. 17, 3.) & *Pseudopropheta*, (V. Apoc. 16, 13. C. 19, 20. C. 20, 10.) qui & C. 13, 11. *Bestia bicornis*, (Conf. ibi v. 16. cum C. 19, 20:) itémque C. 17, 1. 18. *Meretrix* & *Civitas magna*, nec non C. 14, 8. C. 16, 19. C. 17, 5. C. 18, 2. *Babylon illa magna*, appellatur; adeoque & cum *Inferno*, s. sepulcro, & *Morte* (putâ alterâ, Christo, ut *Vitæ*, oppositâ, Apoc. 20, 13. 14. coll. C. 2, 11. C. 6, 8.) post redditos tandem, quos sua in potestate conclusos diu detinuerat, mortuos, (d. Ap. 20, 6. coll. Matth. 16, 18. Apoc. 1, 18.) in lacum ardentis sulphuris conjiciendis, d. v. 14. C. 20. (id quod ibidem v. 10. & C. 19, 20. de *Bestia* quoque & *Pseudopropheta* dicitur,) reapse conveniunt. Ut adeo *cornu illud parvum*, Dan. 7, 8. nec *Antiochus* sit, nec imperium *Ottomanicum*, nec ipsa *Bestia decicornis Apocalyptica*; sed reverâ *Pseudopropheta*, s. *Bestia bicornis Johannæa*, *Civitas* & *Meretrix magna*, VII. *montibus*, s. regnis, multisque aquis s. populis insidens, h. e. regnum in reges terræ (Europæ) habens. d. Apoc. 17, 9. 18.

Consect. II. Ergo imperium vetus Romano-gentile cum suis magis & Sacerdotibus, non magis erat *Bestia illa decicornis apocalyptica*, C. 13. & 17. descripta, cum suo *Pseudopropheta*, Ap. 19, 20. (*παραλήλων* cum Apoc. 20, 8. 9. it. Ezech. 38. & 39. nec non Dan. 7, 7. 19. 21. 25.) ecclesiam bello persequens, quàm illud, cum dictis

magis Philosophis & Sacerdotibus suis, per *Magogum* & *Gogum*, aut per *Bestiam decicornem* & *cornu parvum* apud Danielem C. 7. intelligi potest: quod quidem Alcasar, Bossuetus, aliique Pontificii, sibi nobisque persuadere voverunt, & ex ipsis etiam, quod mirè, Protestantibus, Grotius & Hammondus. Multoque adeo minùs illa *Bestia* & *Pseudopropheta* in everso dudum Judaismo cum non nemine (in *Paraphrasi* C. 20. *Apoc.* *παραδοξοτατη*) quærendi sunt.

Confect. III. Ergo huc etiam pertinent *Tuba VI.* *Apoc.* 9, 13. sqq. & *Phiala VI.* *Apoc.* 16, 12. ff. (ubi tamen postrema duntaxat belli istius expeditio est,) ut & *Apoc.* 19, 17-19. Cui bellum *Gogi* & *Magogi*, *Ezech.* 38. & 39. it. *Apoc.* 20, 8. 9. omninò parallelum est: quod etiam ex collatione. *Ezech.* 39, 17. ff. cum *Apoc.* 19, 17. ff. patet. *Conf.* & v. 8. d. C. 39. *Ezech.* cum v. 17. *Apoc.* 16. & *Apoc.* 21, 6, quod ad τὸ γέγονε.

Propositio IV.

Millennium itaque, unà cum subsequente *par-*
vo tempore soluti rursus Draconis, quod ante
novissimam hostium, contra Ecclesiam belli-
gerantium, expeditionem & cladem labitur,
Apoc. 20, 3. 7. oportet cum periodo *Tempo-*
ris, Temporum & *d. midii temporis*, quæ apud Da-
nielem *Bestiæ*, ejusve *Cornu parvo* succre-
scenti, tribuitur, vel etiam cum periodo *qua-*
draginta duorum mensium, *Apoc.* 13, 5. *Bestiæ*
datâ, coincidat: adeoque *menses* hi 42. & *tres*

„anni cum dimidio, hoc loco, more prophetico,
 „(ut Ezech. 4, 6. Dan. 9, 24.) tot annos, die-
 „rum 360. (quales Scriptura S. numerare sue-
 „vit) designabant, quot isti Menses (singuli
 „dierum 30.) & ista Tempora tria cum dimi-
 „dio, (quodlibet 12. Mensium s. 360. dierum,)
 „efficiunt *Dies*, videlicet 1260. lisdemque ad-
 „eò longum etiam tempus illud comprehen-
 „detur, quò Israël mysticus a gentibus Gogdi-
 „ticis Satanæque per illas persecutionibus cer-
 „to sensu fuit tutus. Ezech. 38, 8--11. Conf.
 „Apoc. 12, 14.

Consectarium I. Ergo *Tempus, duo Tempora &*
Dimidium temporis, itemque *Menses 42. h. e.*
 anni tres cum dimidio, hîc non tot annos vul-
 gares, nec totidem annorum *centurias*; ne-
 que Mille anni isti annos tot vulgares, quot
 Millennium diebus constat, (scil. 360000.) de-
 signant.

Consect. II. Ergo istud Millennium non de-
 mum elapsos antea annos dictos 1260. ex-
 cipiet.

Consect. III. Ergo *Bestia Apocalyptica* floruit
 (Apoc. 13: 1. 5.) tempore ligati per istud Mil-
 lennium *Satana*, quò minùs ille, ut jam victus,
 Apoc. 12, 11. eò, quò antea, modò, eademve
 porro via, gentes ad crassam idololatriam, &
 ad persequendum aperto Marte Christianum
 nomen, ampliùs instigaret, Apoc. 20, 3. sum-
 mis nimir. imperantibus Christianam reli-
 gionem jam amplexis, suòque modò regno
 Chri-

Christi velificantibus : quod itaque intra idem hoc Millennium reapse viguit, atque perduravit, etiam Bestia, cui Satanus thronum suum, & vires potestatemque suam magnam, interea tradiderat, Apoc. 13, 2. prorsus videretur conculcatum. Ut adeo huc omnino spectet visum illud de 144000. Agni sectatoribus in monte Sionis, ipso tempore regnantis Bestiæ cum Christo perseverantibus, Bestiamque non adorantibus, sed vincentibus, Apoc. 14, 1. ff. & v. 9. coll. C. 5, 8-10. & C. 15, 2, 3. cum Apoc. 20, 4.

Consect. IV. Ergo regnum sanctorum, cum Christo per Millennium regnantium, Apoc. 20, 4. nondum est regnum illud Christi consummatum, tempore novissimo, clangente Tubâ septimâ, expectandum, ubi *Mors* secunda, quæ Millenarii istius regni tempore reapse viguit, inq; mortuos suos tunc potestatem adhuc habuit, ib. v. 6. eos emancipare tenebitur, & unâ cum *Inferno* s. Sepulcro (quò illos clausos detinuerat & captivos) in lacum ardentis sulphuris conjicietur. ib. v. 13. 14. coll. C. 19, 21.

Consect. V. Ergo idem hoc tempus est, quò *Mulier* s. Ecclesia, in desertum Romani Imperii, hæctenus gentilis, profugiens, locum ibi accepit, ubi à *facie* h. e. ira s. persecutione *Serpentis* s. Satanæ tuta *habitaret & aleretur* 1260. dies. Apoc. 12, 6. 14. coll. C. 11, 2. & Esa. 66, 11. 12.

Consect. VI. Ergo idem quoque hoc tempus est,

est, quò gentes (Pseudochristiani, gentili adhuc sensu præditi, Christo jam propter potestatis ejus magnitudinem mentientes, Psal. 66, 3.) in *externum templi atrium* (Ecclesiæ communionem externam) venerunt, *sanctamque Civitatem* illam Menses 42. (h. e. 1260. dies mysticos, s. annos) *calcarunt* potius quam *ædificârunt* Apoc. 11, 2.

Consect. VII. Idem hoc tempus est, quo *bini illi Testes* (quos propterea singulares esse personas, repugnat) h. e. duo Prophetarum Apostolorumque ordines, in V. & N. Testamenti scriptis testantes, *consummato* jam & usque quaque prolato *testimonio suo*, *saccis* aut *centone glossarum* & *traditionum superstitiosarum* paullatim *cœperunt obvelari*, Apoc. 11, 3--7. tandemque a *Bestia* illa, *ex maris abyssu* tunc *primum emergente*, (C. 13, 1.) *occisi*, h. e. vero *spiritualique sensu suo privati* sunt, *eorumque quasi cadavera* (litera externa) *in platea civitatis magnæ, Ægypti ac Sodomæ mysticæ*, residua, *nec penitus oblivione sepulta*) *jacuerunt*, ib. v. 7. 8. istos nimirum dies 1260. h. e. annos tres cum dimidio mysticos. C. 12, 6. coll. v. 14. (qui verò respectu occisorum Testium, eorumque *cadaverum insepulorum*, propter τὸ πρῆπον sermonis, *dies tantum tres cum dimidio* dicuntur. v. 9.) Quâ temporis periodô elapsâ *Spiritus vitæ*, h. e. verus sensus, iis est redditus, *pristinumque illi vigorem & auctoritatem in ecclesia recuperarunt*, *indiesque altiùs & sublimiùs*

limiùs evehuntur, ut hostibus suis terrori sint,
nec opprimi porro ab eis possint unquam. v.

11. 12.

Consect. VIII. Ergo & parvum illud tempus sigillo V. memoratum, Apoc. 6, 11. quo superiorum temporum Martyribus stolæ albæ datæ, h. e. eorum causa & nomina, olim damnata, nunc palàm justificata sunt; dicto parvo tempore, C. 20, 3. post millennium illud labenti, parallelum, etiam circa finem periodi annorum 1260. incidit: qua itaque tempestate Satanæ jam rursus solutus Reges terræ ad novissima contra ecclesiam bella tempore Phialæ VI. instigabit. Ap. 6, 13. ff. coll. C. 19, 20. C. 20, 7. 8. 9.

Propositio V.

Hinc porro terminus, quem dicunt, a quo, tam millennii ligati Draconis s. Satanæ, quàm annorum 1260. vigentis Bestiæ, circa illa præter propter tempora statuendus, ubi *Mulier in deserto* Romani imperii, hæctenus gentilis, (in quod beneficio *binarum aquilæ magnæ alarum*, h. e. subsidio imperii Rom. tam Orientalis quàm Occidentalis, *fugere*, & quasi *avolare*, ipsi licuit,) locum sibi destinatum ac tutum à facie, h. e. furore, serpentis reperit, quò tam diu secura aleretur: C. 12, 6. 14. Item, ubi *Draco* jam victus, & idcirco *discedens*, ib. v. 8. 9. 11. 17. succedenti sibi *Bestia*, e mari gentilissimi jam emergenti, (h. e. cœtui Pseudochristianorum, ex gentibus in ecclesiam, Imperatorum nunc privi-

„legiis dotatam, densis agminibus translato-
 „rum, nomenq; sibi *catholicum* vindicantium)
 „locum fecit, eique thronum suum, viresque
 „& potestatem suam magnam tradidit. C. 13,
 „I. 2. Ubi, inquam, *gentibus externum templi*
 „atrium dari, & ab iis *sancta civitas* conculcari cœ-
 „pit. Apoc. 11, 2. Denique, ubi *bini Testes* supra
 „laudati, cum testimonium suum jam con-
 „summâssent, *saccis*, vel centonibus glossarum
 „humanarum & superstitionarum traditio-
 „num, *amicti* s. oblevati, imò *occisi sunt*, eorum-
 „que *cadavera*, externa duntaxat litera sine spi-
 „ritu, quasi mortua *visa*. ib. v. 3. ff.

Consectarium I. Ergo & ex hac ratione *Bestia*
 illa imperium Romano-gentile esse non
 potest.

Consect. II. Ergo dicti 1260. & 1000. anni
 haudquaquam adhuc expectandi; neque ta-
 men a medio vel *octavi*, (cum Matth. Hof-
 manno) vel *quinti* post natum Christum secu-
 li, (cum Horchio, aliisque,) sed potius post
 initia si non medium quarti a Constantino-
 rum, vel, si mavis, Theodosii M., ævo, ubi
 gentilismus jam prorsus ex imperio Rom.
 profligari cœpit, supputandi veniunt. Quan-
 quam cum his omnibus res ita comparata est,
 ut, quemadmodum non uno eodemque tem-
 pore ubique per totum orbem Christianum
 cœperunt aut perfecta sunt, sed potius gradus
 suos, suaque momenta & incrementa habue-
 runt, ita nec certus præcisè temporis articu-
 lus,

lus, aut hęc vel ille annus, designari possit, ubi hæc ipsa esse vel cœperint vel desierint.

Consect. III. Ergo prior resurrectio, circa initia millennii istius incidens, non est corporum, sed mystica, nimirum conversio gentium. V. Joh. 5, 25. 28. Eph. 2, 1.

Consect. IV. Ergo finis millennii istius incidit in tempora post Ludovicum Bavarum lapsa; quippe qui Imperatorum postremus Papæ restitit. Circa quæ tempora Satanus, rursus quasi solutus, gentes Pseudo-Christianas iterum ad crassam satis idololatriam, (præsertim in *Missâ*,) & ad apertam a Christi doctrina (in puncto præsertim *justificationis*,) defectionem, seduxit; & postea etiam, corpore Babylonis, populo Dei jam vacuæ, Apoc. 18, 2. indutus, castra Sanctorum urbemque dilectam, à gentibus, ita denuò seductis, nunc separatam, ut *Draco*, aperto oppugnare Marte cœpit. Apoc. 20, 7-9. coll. v. 3. *ibid.*

Propositio VI.

Bellum itaque inter Michaëlem ac Draconem & utriusque Angelos in cœlo, h. e. regno cœlorum, gestum, hujusque cladem, abjectionem & ligationem, adeoque & Bestiæ exortum, antevertens, (C. 13, 1.) & per hæc ipsa tandem finitum, Apoc. 12, 7-14. 16. omninò ad prima N. T. secula spectat, quibus ecclesia Imperatorum gentilium persecutionibus fuit obnoxia, & Satanus omnium contentione virum eam extinguere annis quidem, sed tan-

„dem victus palmam Christo & Christianis
„concedere coactus est.

Confectar. I. Ergo bellum istud non in octa-
vum usque seculum (quod Hofmannus puta-
vit) protractum est.

Confect. II. Ergo hinc rursus patet, *Bestiam*,
ut Draconis victi pulsiq; successorem & ex asse
hæredem, (Apoc. 13, 1. 2.) ad Imperium Ro-
mano-gentile, multoque minùs ad statum rei-
publicæ Judaicæ, non pertinere, aut referri
ullo modo posse.

Propositio VII.

„Visum *Mulieris parturientis, filiumque enixa,*
„*gentes Virgâ ferreâ pasciturum,* quem, ubi jam
„nascetur, Draco devorare intendit. Apoc.
„12, 1-6. non minùs quàm illud de bello *Dra-*
„*nis contra Michaëlem,* ib. v. 7. ff. usque ad perio-
„dum 1260. annorum s. 5. mensium *Bestie* furen-
„tis, & 1000. annorum *Draconis* ligati, porri-
„gitur, d. v. 6. & 14. adeoque in idem cum isto
„tempus incidit.

Coroll. Ergo visa hæc ad futuram Judæorum
conversionem cum Peterfenio referenda non
sunt. Hæc si jam certa sunt, nihil jam ultra
restat, quàm ut quis, stili Prophetarum emble-
matici, fatorumque mundi & ecclesiæ, satis
gnarus, sed τῶ τῶπω τῶν ὑγαινόων λόγων προ-
σέχων, ipsa visorum apocalypticorum emble-
mata (quæ quorsum pertineant, jam ex ista
chronotaxi, monstratisque synchronismis,
patet,) ita explicet, verbaque eorum & phra-
ses

ses ita exponat, restringat aut etiam extendat, prout res visi alicujus ipsa, aut status & conditio istius temporis, ad quod illud spectat, reive natura, postulat vel patitur. Quod fieri utique oportet, ubi jam antè certum est, hoc illudve visum ad hoc illudve tempus, & ad hanc illamve historiam, s. ecclesiæ fata hæc vel illa, pertinere. Ubi tum aureum illud, quod ipse Cl. Vitringa in præf. *Ανακείσ. Απ.* tradidit, vel maximè erit observandum: *Nobis sæpè accidere, ut, vel ob historiarum imperitiam, vel falsarum opinionum προληψεις, quas imbibimus, aliis longè oculis, aliisque cum coloribus res videamus in mundo & ecclesia gestas, ac eas videt & intelligit Spiritus S.* Id quod sanè longè plurimis errandi hîc causa est. Quòd si tamen quid sit, quod hujus *Demonstrationis* meæ (ex Dan. VII. haustæ) nervum incidere, melioremque aliquis ac prophetiis convenientiorem dare ac *demonstrare* Visorum Apocalypticorum Chronotaxin possit, maximam tam a me, quàm ab omnibus piis prophetiarum scrutatoribus, quin & ab universa Christi ecclesia, (cujus utique maximi interest, *Apocalypsin* rectè intelligi) inibit gratiam. Veritati sit victoria, & Deo soli gloria. Amen. Amen.

FRID. CHRISTOPH.
NEUBOUR,
SCHEDIASMA

DE

BATTOLOGIA ETH-
NICORUM

in Precationibus
ad illustrationem loci
Matth. VI. v. 7.

Προσευχόμενοι δὲ μὴ βαττολογήσετε
ὡσπερ οἱ ἔθνη· δοκῶσι γὰρ ὅτι ἐν τῇ
πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακκοθήσονται·
μὴ ἐν ὁμοιωθῆτε αὐτοῖς.

*Orantes autem nolite multum loqui, sicut
Ethnici; Putant enim quod in multiloquio
suo exaudiantur. Nolite ergo assi-
milari eis.*

SUMMARIUM.

§. 1. Etymologia vocis. Βάττος in hac compositione
non est vox propria, sed appellativa. Βατος Βατραχος,
Βάταλος, Βατταρίζειν, eandem habent originem. Βατ-
τολογία igitur non tantum luxuriam verborum, sed
etiam futilitatem objecti designat. §. 2. Garruli-
tatis & multiloquii gentilium in precibus varia dan-
tur exempla. §. 3. Nugacitas & futilitas materiae de-

demonstratur. §. 4. Quin ad petendum absurda,
 mala atque iniqua delapsi sunt.

§. I.

Bαττολογία & βαττολογεῖν (a) quid proprie
 significet, si Lexicographos interrogas,
 uno quasi ore, omnes fere responde-
 bunt: ΒΑΤΤΟΣ nomen esse cujusdam Cyre-
 næorum principis, qui exili voce præditus &
 balbus fuit, hinc βαττολογεῖω loquor ut *Bat-
 tus ille.*

Ipsam historiam recenset Herodotus in Mel-
 pomene, hoc modo: *Polymnestus vir inter The-
 raos spectatus, in concubinatum Phronimam accepit,
 ex qua, interjecto tempore, natus est ei filius ἰχθόφωνος,
 sono vocis exili ac balbutienti, (seu ut B. I-
 dæus ex antiquo exemplari legit: ἰχθόφωνος
 i. e. hæsitans lingua) cui nomen impositum est
 Batto.*

Sed

(a) Confer de βαττολογία gentilium in precibus præter
 Commentatores & Lexicographos Fullerum Miscell.
 Sacr. II. 16. Doughtaum Anal. II. 7. Gatakerum Ad-
 versar. c. 41. singulari dissertatione Stolbergium Exerc.
 philol. IX. Grævium ad Callimach. in Dianam vs. 7.
 Casaubonum Exercit. XIV. 8. Saldenum Ot. Theol.
 III. 10. §. 8. sqq. Deylingium Observ. III. 27. Sartor-
 rium de hypocrisi gentil. c. 5. §. 10. Freywill. Hebopf.
 T. I. p. 847. sq. Lomejerum de lustrat. gentil. c. 33. p.
 m. 407. sq. Hombergium Parerg. Sacr. p. 25. Olear-
 rium Observat. XIX. ad Matth. §. 5. p. 172. sq. Dil-
 herrorum Electorum libr. II. c. 5. Hildebrandum ritual.
 orant. c. 4. §. 1--9. Lipsiensis Act. Erud. 1704. p. 51.
 Suicerum Observat. c. 6. F. A. L.

Sed cum facile appareat, ad allegata Salvatoris verba non quadrare hanc significationem, quippe quæ vitium naturæ notat, quod nemini, qui Creatorem invocat, debet obesse: neque etiam sine absurditate quis statuatur, Christum vetasse, voce exili, aut lingua balbutiente, preces fundere: nec denique, prona veritate, asseri possit, ethnicos, more illius Battii, lingua hæsitante, preces ad Deos fecisse: Hinc aliam vocis βαττολογεῖν significationem, alium ortum, quæsi verunt interpretes.

Nonnulli igitur, inter quos Erasmus est, cum Suida dicunt, vocem hanc natales debere Batto cuiusdam inepto Poëtæ, qui *hymnos* quosdam conscripserit prolixos, *in quibus eadem crebrius iterabantur*, similis fere Lucilio Horatiano,

Qui fuit hoc vitiosus in hora sæpe ducen-
tos,

Ut magnum, versus dictabat, stans pede
in uno,

Garrulus, atque piger scribendi ferre la-
borem,

Scribendi recte. Nam ut multum nil
moror.

Horat. Serm. L. 1. Sat. 4.

ut adeo, secundum horum sententiam *battologus* significet hominem *inepte loquacem*.

Alii, qui originem nostri vocabuli a Batto Ovidiano deducunt, cum præcedentibus plane conveniunt, nisi quod alium patrem infan-
ti

ti tribuant; nempe Battum illum proditorem, quem a Mercurio, propter ridiculam garrulitatem, non modo probe exagitatum; sed, ob malitiosam proditorem in lapidem quoque conversum fuisse, Poëta fabulatur, *Metamorph. Lib. II.*

Verbo, omnes hoc volunt, vocem Βάτ? sua natura nihil significare; sed esse nomen proprium: quod autem, balbutientis linguæ vitium, vel etiam nimia verboritas & inepta sermonis repetitio βαττολογία dicatur, hoc non, nisi ex recensitis Battorum, sive historiis, sive fabulis, proficisci.

Sed ut a communi hac interpretum sententia secedam, fere efficit ipse *Herodotus*, loco, in principio Schediasmatis hujus, laudato, ex cuius integra relatione suspicor: vocem Βάτλος sua naturâ, qualecunq; loquelæ vitium notare.

Et forsitan non nimium errant, quibus, teste *Hesychio*, vox ista videtur imitatitia, (b) qualis

(b) Ni fallor, optime instituunt, qui vocem hanc ex radice כוּב derivant, quod *inconsiderate* pronunciare designat in *pihel* Levit. V. 4. Pf. CVI. 33. Egregie hoc cum Cl. Authoris hypothese convenit. Hinc forsitan & antiqua apud Romanos vox *Buttubata*, de qua apud *Festum* legitur: *Nevius pro nugatoriis posuit b. e. nullius dignationis.* Nullus dubito, quin illa ex Hebraismo orta, quo verba ad augendam emphasin sæpe duplicantur: quasi diceret: כוּב כוּב בּוּב *futilia effutians.* In eadem mecum sententia deprehendo *Martinium* Lexico ad h. vocem. Ipse *Vossius* in *Etymologico* hanc derivationem laudat, quamvis aliam addat, quæ Cl. *Neubaurio* potior videtur. F. A. L.

lis est φλοῖσβ, qua indicatur sonus quem aqua edit, præsertim cum fluctus excitantur, aliæque innumera.

Certe omnia vocabula græca, quæ syllaba βστ incipiunt, nescio quid striduli & absonum strepentis indicant.

Ita βάρ est rubus, vel sentis, frutex sine foliis, aridus, & ad minimum venti motum ramusculis concrepans.

Eâdem voce denominatur avicula quædam garrula, apud Aristotelem Hist. animal. lib. 8. cap. 3.

Βάτερχ significat ranam, animal maxime loquaculum. Quod vero βάτερχ contracte pro βαίτερχ dici Grammatici autumant, hoc vel inde refellitur, quod βα in βάτερχος brevis est.

Πῶς μὲν ἐν βατράχοισι ἀεισεύσαντες ἔβησαν. Homer. in Batrachomyomachia; cum syllabæ contractæ naturâ longæ habeantur.

Demosthenem βάταλον vocare Æschines solebat; non tam quod mollis & effœminatus, quam quod Rabula nimium loquax & mordax esset, similisque Serpenti, multo stridore atque aspero halitu, virus ejaculanti, cuius genus quoddam Batali nomine insigne fuisse, Suidas autor est. Etiam si & id, quod βάταλ effœminatum & mulierosum significat, minus a moribus Batali tibicinis, ut vulgo creditur, quam a muliercularum garrulitate provenire videri possit.

A voce βάρ πορρο descendit τὸ βατταί-

ζειν, quod vulgo *balbutire* significat, apud Ciceronem autem *inconsiderate* & *absurde loqui*. Ita enim ille ad Atticum Lib. VI. Ep. 5. τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς ὁ ἀπελεύθερος, ἔδοξε μοι θαμὰ βατταρίζων, καὶ ἀλύων ἐν τοῖς ξυμπόλοις καὶ ταῖς λέξαις. Obscuriora hæc sunt, quam ut facile intelligi possint; obscura etiam ab initio esse debuerunt: cum ipse Cicero, in epistola præcedenti, ubi eadem, licet aliis verbis, dicit, hæc præmittat: *Illud præterea μουσικώπερον ad te scribam, tu sagacius odorabere*: Nec non in hac ipsa epistola, finitis græcis, statim addat: *Hoc tu indaga ut soles*. Illud interim clare satis apparet, conqueri Ciceronem de amicorum quodam, qui, sub nomine, Liberti uxoris suæ, Attico notus erat (ὁμοθαὸν λέγω, inquit in præcedenti epistola) quod videatur sibi de rebus suis, non ut debuisset, sed *male, inconsiderate, absurde* seu ut vulgo dicunt, *impertinenter, differere* & tam in privatis colloquiis, quam in publicis conciliis loquendo *herere, titubare, oberare*, vel nimium *exspatiari*. Quo enim minus persuadear, Tullium βατταρίζειν accipere pro *effutire*, vel etiam *dolo malo agere*, ceu Erasmo in Adagiis, ad hanc vocem, apparet, efficit epistola Ciceronis præcedens, ubi, loco τῆ βατταρίζειν, utitur verbo παρεφθέρχεσθαι, quod, uti omnibus notum est, significat: *non concinne respondere, nihil ad rem pertinentiâ loqui*.

A βατταρίζειν descendit βατταρισμός, quæ vox ipso teste Erasmo, l. c. *nugacitatem* significat.

Class. II. Fasc. IV.

Rr

Ut

Ut ergo ad verba Christi, in fronte hujus Schediasmatis posita, redeamus, eorum hic sensus esse videtur.

Orantes, nolite multo & inani verborum strepitu garrere; nec, futilia & absurda precando, inconsiderata loquacitate evagari, id quod Ethnici faciunt. &c.

Quamvis enim præcipue *verborum luxuriam* in Orationibus gentilium Salvator hic carpere videatur: attamen *objecti precum futilitatem* hoc Christi monito simul vetari, & genuina vocis βαττολογεῖν significatio, & formulæ precandi, quam ipse mox suppeditat gravitas satis evincit. (c)

J. II.

Sed uti melius de sensu simul, ac veritate, hujus

(c) Authoris sententiam, utrumque significatum combinantis antea jam Dietericus in Lexico N. T. non indote est exsecutus. Quantum tamen ego perspicio, luxuries verborum hic potissimum ab optimo Salvatore intenditur. Nam 1) statim βαττολογία explanatur per πολυλογίαν. 2) De tali βαττολογία sermo est, quæ tanquam meritum obtruditur, quod magis cadit in multiloquium, quam in vaniloquium. 3) Ratio monelæ, quæ commate sequenti octavo subditur: novit enim Pater quarum rerum indigeatis, antequam eum oratis, multo fortius contra illud, quam hoc stringit, immo contra vaniloquium ἀποπρῶ videri posset. Sensum autem angustissimum & apud Græcos vulgatissimum negari nequit illum esse, quo tale multiloquium exprimitur, quod inani earundem sive vocum sive rerum repetitione molestum est. F.A.L.

hujus dicti constet, operæ pretium me factu-
rum existimo, si aliquot exempla precum gen-
tilium in medium producam, quæ cum *Mul-
tiloquii*, tum *Nugacitatis* specimina dici me-
reantur.

Extat apud Virgilium Maronem, *Æneid.*
L. XII. Precatio, quam *maximam* appellatam
fuisse Briffonius ait, lib. I. de Formulis & solenni-
bus Pop. Rom. verbis. Cum Latino enim fœ-
dus pacturus pius *Æneas* ibi stricto sic ense
precatur:

Esto nunc Sol testis, & hæc mihi terra pre-
canti,

Quam propter tantos potui perferre la-
bores;

Et Pater omnipotens, & tu Saturnia Juno,
Jam melior, jam diva precor, tuque inely-
te Mavors,

Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine
torques:

Fontesque fluviosque voco, quæque æthe-
ris alti

Relligio, quæ ceruleo sunt Numina ponto:
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
Convenit Evandri victos discedere ad ur-
bem,

Cedet Julius agris, nec post arma ulla re-
belles

Æneadæ referent, ferrove hæc regna la-
cessent,

Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem,

Ut potius reor, & potius Dii numine fir-
 ment;
 Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
 Nec mihi regna peto, paribus se legibus
 ambæ
 Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
 Sacra Deosque dabo, Socer arma Latinus,
 habeto
 Imperium solenne Socer, mihi mœnia
 Teucri
 Constituent urbique dabit Lavinia nomen.

(d) Hanc Æneæ Orationem, soluto ser-
 mone, ita interpretatur Ascensius:

*O sol! esto mihi precanti testis, & o terra Italica!
 propter quam ego potui perferre tantos labores,
 esto mihi precanti testis, & tu o Pater omnipo-
 tens Jupiter! & tu Saturni filia, conjux Jovis, o
 diva Juno! jam melior & clementior solito, uti
 precor, & tu o Mars! inclyte, clare & gloriose,
 qui tenes atque torques, sustines & quovis im-
 pellis cuncta bella nutu & divina potestate. Ego
 invoco Vos in testimonium. Et Deos fontium &
 flu-*

(d) De gentiliū precibus in genere confer Authores
 a Fabricio in Bibl. Antiq. & Pitisco Lex. Ant. citatos,
 quibus addi possunt Calius Rhodiginus Antiq. Lect. lib.
 XII. c. 2. XXII. 9. Lipsius Elector. II. 6. Pier. Valeria-
 nus Hieroglyph. XXV. 22. XXXIX. 9. Tomasinus Tes-
 ser. Hospital. c. 8. Bulengerus Imper. Rom. I. 16. Pi-
 thœus Advers. I. 7. Spanhemius ad Callimach. p. 647.
 Lomejerus de lustr. gent. c. 33. Sartorius Hypocr. Gen-
 til. c. 5. F. A. L.

fluviorum & quicumque Dii in aethere religiose coluntur, & numina quæ sunt in ponto cœruleo. Verbo: obtestor omnia numina cœli, maris & inferorum: Si forte victoria cesserit Ausonio Turno, convenit, sive placet: nos victos discedere ad urbem Evandri, & Julius filius meus cedit agris, & Aeneada nunquam deinceps rebellabunt, nec armis laceſſent hæc regna, pro quibus certamus, quæ sunt Latini. Sed si victoria annuerit felicem belli exitum, nostræ virtuti debitum, ut ego recer potius futurum, & ut dii confirment potius voluntate sua, Ego non jubebo Italos parere Teucris, ut dedititios, nec peto mihi Dominium & regna solus; sed ambæ gentes invictæ mittant se in fœdera æterna & indissolubilia, legibus paribus. Ego dabo sacra & Deos, fungarque jure pontificio: Latinus socer ut habeat concedo jus armorum, quod civile vocamus, & Socer habeto imperium solidum toto anno duraturum, & Teucri constituent mihi mœnia, & Lavinia det urbem nomen.

Dicat mihi nunc quæso aliquis, quid sit Βαττολογείν? si hoc non est. Verum non minus verbosus apparet, in Oratione sua facienda, Latinus, quæ statim sequitur:

Hæc eadem, Anea! Terram, Mare, sidera juro,
Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vinq̄ Deûm infernam, & divi sacraria
Ditis:

Rr ;

Au-

Audiat hæc Genitor , qui fœdera fulmine
fancit.

Tango aras , mediosque ignes , & Numina
testor :

Nulla dies pacem hanc Italis , nec fœdera,
rumpet,

Quo res cunque cadent, nec me vis ulla vo-
lentem

Avertet, non si tellurem effundat in undas
Diluvio miscens, cælumve in Tartara solvat;
Ut sceptrum hoc (sceptrum nam forte ge-
rebat)

Nunquam fronde levi fundet virgulta, nec
umbras,

Cum semel in sylvis, imò de stirpe recisum,
Matre caret, posuitque comas & brachia
ferro.

Olim arbos, nunc artificis manus ære de-
coro

Inclisit, Patribusque dedit gestare Latinis.

Longe petitum simile , ac verbis humidis &
lapsantibus , ut Gellii locutione utar , diffu-
ens : inepta pactio, post orbis interitum du-
ratura : vaga denique & battologa Terra,
Maris , Siderum ac tot Deorum invocatio,
utramque paginam in his precibus conficit.
Verum huic ipsi summam efficaciam inesse
credebant ethnici ; unde *Maxima precatio erat,*
cum plures Deos, quam in cœteris auguriis, quis pre-
cabatur, teste Servio , in *lbr. 12. Æneid.* ad ea
verba : *Esto nunc sol testis.* Adeo verum est
Sal-

Salvatoris effatum : *Putant quod in multiloquio suo exaudiantur.*

Impia non minus , quam verbosa Oratio ,
sive imprecatio potius , ac devotio *Didonis* ad-
huc legi meretur , apud eundem Poëtam , *Æ-*
neid. L. IV , his verbis concepta :

Sol qui terrarum , flammis , opera omnia
lustras ,

Tuque harum interpretes curarum & conscia ,
Juno ,

Nocturnisque Hecate triviis ululata per
urbes ,

Et Diræ ultrices , & Dii morientis Elissæ :
Accipite hæc , meritumque malis advertite
numen ,

Et nostras audite preces ; si tangere portus
Infandum caput , ac terris adnare , neces-
se est ,

Et si fata Jovis poscunt , hic terminus hæret :
At bello audacis populi vexatus & armis ,
Finibus extorris , complexu avulsus Juli ,
Auxilium imploret , videatque indigna suo-
rum

Funera : nec , quum se sub leges pacis ini-
quæ

Tradiderit , regno aut optata luce fruatur :
Sed cadat ante diem mediaque , inhumatus
arenâ .

Hoc precor , hanc vocem extremam , cum
sanguine fundo .

Sed forte persuadeat sibi quispiam , fingendi

licentia & circumlocutionibus Poëtis concessis & maxime familiaribus abuti Maronem. Promam igitur alias quasdam precationum gentilium formulas, ligato sermone haud conceptas. Ipse M. Tullius, qui apud Gellium, L. 1. c. 15. *Si alterum optandum: malim equidem inquit, indisertam prudentiam, quam stultam loquacitatem;* satis tamen loquaciter, in Oratione pro Domo sua, sic precatur:

Quocirca Te Capitoline, quem propter beneficia, Populus Rom. Optimum, propter vim, Maximum nominavit: Teque Juno Regina, & Te, Custos urbis, Minerva, quæ semper adiutrix consiliorum meorum, testis laborum exstitisti, precor ac queso: Vosque qui maxime me repetistis atque revocastis, quorum de sedibus hæc mihi proposita est contentio, Patrii Penates Familiæque, qui huic urbi & Reipublicæ præsides estis, vos obtestor, quorum ego a templis ac delubris pestiferam illam & nefariam flammam depuli: Teque Vesta Mater, cujus castissimas Sacerdotes ab hominum amentia, furore & scelere defendi: cujusque ignem illum sempiternum non sum passus, aut sanguine civium restingui, aut cum totius urbis incendio commisceri: Ut, si in illo pæne fato reipublicæ objeci meum caput, pro vestris cœrimonis atque templis, perditissimorum Civium furoni atque ferro; Et si iterum, cum ex mea contentione interitus bonorum omnium quæreretur vos sum testatus, vobis me ac meos commendavi, meque ac meum caput, ea conditione devovi: uti, &

eo ipso tempore, & anteq̄, & in Consulatu meo, commodis meis omnibus, emolumentis, præmiis prætermiſſis, cura, cogitatione, vigiliis omnibus, nihil, niſi de ſalute meorum civium laboraſſem: tum mihi Republica aliquando reſtituta liceret frui: Sin autem mea conſilia patriæ non profuiſſent; ut perpetuum dolorem, avulſus a meis, ſuſtinerem: hanc ego devotionem capitis mei, curæ ero in ſedes meas reſtitutus, tum denique convictam eſſe & commiſſam putabo.

Loquentiæ ſatis, ſapientiæ parum! Adeo enim his verborum anfractibus intricatur, & involvitur quaſi, bonus Tullius, ut non modo loquax magis, quam facundus, ſed loquens etiam loqui ſeſe nescire videatur; quippe Oratio non tantum luxuriat, ſed etiam ſenſu caret. Incipit enim eſquipedalis periodus: *Deos precor, ut, ſi in illo fato reip. objeci caput meum civium furori &c.* atque concluditur: *hanc ego devotionem eſſe commiſſam putabo;* id quod a Romanæ Patre eloquentiæ non erat ſperandum.

Aliud exemplum Battologiæ gentilium ſuppeditat nobis Livius lib. XXIX. ubi Scipionem in Africam navigaturum his verbis precantem inducit:

Dii Deæque, qui maria terrasque colitis, vos precor quaſoque, uti quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſtque gerentur, ea mihi, Populo, plebique Romanæ, Sociis, nominiq; Latino, qui populi Romani, quiq; meam Sæctam, imperi-

um auspiciūq; , terra , mari , annibusq; sequuntur , Bene verruncent : Eaque vos omnia bene iuvetis , bonis auctibus auxitis : salvo incolumesq; ; victis perduellibus , Victores spliis decoratos , praeda onustos , triumphantesq; mecum domos reduces sistatis : Inimicorum hostumque ulciscendorum copiam faxitis : quaeque populus Carthaginensis in Civitatem nostram molitus est , ea ut mihi populoque Romano in civitate Carthaginensium exempla edendi facultatem deti.

Hæc licet fortassis ipsissima Scipionis verba non sint ; sed ab historico , more suo , efficta : sunt tamen ad similitudinem solennium precationum accommodata , fatisque ostendunt , quantum sibi in πολυλογίᾳ sua placuerint gentiles . Qua de re ut eo certius constet , proferam adhuc duas precationum solennissimarum formulas ex Macrobio , Saturn. L. III. c. 9. quarum altera evocari solebant Dii tutelares , altera urbes & exercitus devoveri .

Dii , ex civitate oppugnatione cincta , evocabantur hoc carmine :

Si Deus , si Dea est , cui Populus civitasq; Karthaginensis est in tutela . Teque maxime ille , qui urbis huius populiq; tutelam recepisti , precor venerorq; veniamq; a vobis peto , ut vos populum civitatemq; Karthaginensem deseratis , loca , templa , sacra urbemq; eorum relinquatis , absq; his abeat , eiq; populo civitatiq; metum , formidinem , oblivionem injiciatis , proditiq; Romanam , ad me meosq; veniatis , nostraq; vobis lo-

ca, templa, sacra, urbs acceptior probatiorq; sit, mihiq; populoq; Romano, militibusq; meis præpositi sitis, ut sciamus intelligamusq;. Si ita feceritis, voveo vobis templa ludosque facturum.

Urbes vero & exercitus hac formula devovebantur:

D's Pater, ve iovis, manes, sive vos quo alio nomine fas est nominare, ut vos omnes illam urbem Karthaginem exercitumq;, quem ego me sentio dicere, fuga, formidine, terroreq; compleatis, quiq;, adversum legiones exercitumq; nostrum, arma telaq; ferent, uti vos eum exercitum, eos hostes, eosq; homines, urbes, agrosq; eorum, & qui in his locis, regionibusq;, agris, urbibusq; habitant, abducatis, lumine supero privetis, exercitumq; hostium, urbes agrosq; eorum, quos me sentio dicere, uti vos eas urbes agrosq;, capita atatesque eorum devotas consecratasque habeatis, illis legibus, quibus quandoque sunt maxime hostes devoti, eosq; ego vicarios pro me, fide, magistratuq; meo, pro populo Romano, exercitibus legionibusq; nostris, do, devoveo ut me meamq; fidem, imperiumq;, legiones exercitumq; qui in his rebus gerundis sunt, bene salvos sive sitis esse. Si hac ita faxitis, ut ego sciam, sentiam intelligamq;, tunc quisquis hoc votum faxit, ubi ubi faxit, recte factum esto, ovibus, atris tribus, tellus mater, teque Jupiter obtestor.

Annon sic videntur tibi B. L. gentiles
nugas ludificarier,

Gar-

Garrireque, ut neque pes unquam neque
caput appareat?

Quod de Aristophonte dicit Tyndarus, apud
Plautum Capt. A. 111. 5. 4. Sane liquet, pre-
ces eorum, quo solenniores, eo ineptiores,
iplos vero ethnicos homines in verba proje-
ctos, locutulejos, blaterones & linguaculas,
in precando, fuisse. Quantam autem futu-
ræ exauditionis fiduciam in hac loquacitate sua
posuerint, patet Horatii exemplo, Carmen
Seculare, fatis quoque longum, ita finientis:

*Hæc Jovem sentire Deosque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto.*

Hoc illud est profecto, quod Christus ait: δο-
κῆσι ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακκοθήσου-
ται. (e)

§. III.

(e) Exemplum aliud hujus rei liquidissimum est in
Sacerdotibus Baaliticis, qui invocarunt nomen Baha-
lis a mane usque ad meridiem, dicendo: o Bahal exau-
di nos! I. Reg. XVIII. 26. Hanc futilium licet precum
virtutem agnoscit Horatius lib. II. Epist. I.

*Poscit opem chorus & præsentia numina sentit:
Cælestes implorat aquas docta prece blandus:
Avertit morbos: metuenda pericula pellit:
Impetrat & pacem & locupletem frugibus annum:
Carminè Dî Superi placantur, carminè Manes.*

Ovidius Trist. lib. 2.

Exorant magnos carmina sæpe Deos.

Huc quoque spectant illa apud Arnobium lib. VI. adv.
gentes: Non (inquiunt) idcirco attribuimus diis tem-
pla, tanquam, humidos ab his imbres, ventos, pluvias
ar-

§. III.

Sufficiunt hæc ad demonstrandum garrulitatem

arceamus, aut soles; sed ut eos possimus eorum & cominus contueri, affari de proximo, & cum presentibus quodammodo venerationum colloquia miscere: sub axe enim nudo, & sub aethereo tegmine invocati si fuerint, nihil audiunt; & nisi de proximo admoveantur his preces, tanquam nihil dicatur, obstructi atque immobiles stabunt. Hæc virtus superstitiose verbis precum adscripta in causa erat, ut conceptis ex verbis fierent & sollicitè caveretur, ne hæsitacione aut omissione quadam preces ipsæ inutiles redderentur. Audiatur Plinius lib. XXVIII. cap. 2. Vidimus certis precationibus obsecrassè summos Magistratus. Et ne quid verborum pretereatur, aut preposterum dicatur, de scripto præire aliquem, rursusque alium custodem dari, qui attendat, alium vero præponi, qui faveri linguis iubeat: tibicinem canere, nequid aliud exaudiatur: utraque memoria insigni, quoties ipsæ divæ obstrepentes nocuerint, quotiesque precatio erraverit. Inde si ædilis verbo aberrasset, ludos non rectè factos esse, ait Cicero de resp. arusp. In feriis Latinis, quia in una hostia Magistratus Lanavinus precatus non erat Pop. Rom. Quiritium, religioni fuit, feriæque instauratæ sunt, referente Livio lib. XLI. c. 16. Ad ius Vossium de idololatr. lib. IX. c. 8. Apprime quoque huc faciunt bina Æschyli loca, a Spanhemio ad Callimachum excerpta, alter est Chæphon. v. 210.

Εὐχὰς τὰ λοιπὰ, τοῖς Θεοῖς τελεσφόρους

Εὐχὰς ἐπαγγέλλουσα, τυγχάνειν καλῶς. i.

Precare, ut reliqua, Diis perfectrices preces annuntians, rectè succedant. Et Sept. Theb. vs. 272. ubi Eteocles Thebanorum Rex ait ad Chorum Thebanarum virginum:

Εὐχὰς

tatem & multiloquium ethnicorum in orando. Videamus nunc paucis alteram Battologiae speciem, nempe *nugacitatem atque futilitatem materiae sive objectorum*, circa quæ preces eorundem versari solebant.

Scilicet vix aliud quicquam, præter corporalia & terrestria a Diis expetebant, uti evidenter apparet ex Orationibus supra expositis, nil, nisi foedera civilia, vanam victoriam, recuperationem possessionum, vindictam etiam & per-

Ευχὴ τὰ κρείσσω συμμάχης εἶναι Θεῶς,
 Κ' ἀμῶν ἀκέραια εὐγμάτων ἔπειτα σὺ
 Ολολυγμὸν ἱερὸν εὐμενῆ παιώνισον,
 Ἐλληνικὸν νόμισμα Δυσάδ' ὁ βοῆς. ἰ.

Precare meliora, ut Dii sint auxiliares; measque audiens preces, mox tu acclamationes sacras ac faventes accinas, more illo Graecanico clamoris in sacrificiis recepti. Hæc quoque suberat ratio, cur tot inaniter cumularent nomina Deorum. Esse enim Diis aliquod præ cæteris gratum nomen arbitrabantur, quod cum ignorarent, omnia recitabant, ut sic gratum illud nomen vel inscii recitarent, quam superstiosam persuasionem utpote ab aliis ad h. l. abunde pertractatam Cl. Author prætermittit. Placuit illi talibus insistere potissimum exemplis, quæ multos Deos invocatione conjunctos esse docent. Ex eodem sine dubio fonte hoc fluxit, ne si quos inconsulto præterirent, quos invocari præfens rerum status exigebat, eos sibi adversos redderent. Nihil amplius addo, nisi glossam N. T. Oxoniensis Gregoriana: Τῶν γὰρ ἐπικλήσεων πλήθει ἔ πολυωνυμία τὰς Θεῶς ἀρέσκεισθαι ἐνόμιζον. ἰ. *Crediderunt enim multitudine invocationum & nominum congerie se Diis placituros.* F. A. L.

& persecutionem hostium pro objecto habentibus. Neque negarunt hoc unquam, sed veluti Sagaristio, apud Plautum in Persa, se *Vaniloquidos, Nugipolyloquides, Sedigniloquidos* esse confessi sunt.

*Prima fere vota & cunctis notissima templis:
Divitiæ ut crescant, ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro,*

Inquit Juvenalis Sat. X. Nec longe post:

*Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
Incipit optare & totis quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partem colit asse Miner-
vam.*

& circa finem:

Nos animorum

*Impulsu & cæca magnaue caligine ducti,
Conjugium petimus, partumq; uxoris.*

Tam vana sibi ipsis apprecantes, non saniora vota pro aliis faciebant. Exempli causa, in supplicationibus publicis nil a Diis nisi conservationem & vitam Ducum vel Principum exorabant, qui non raro feliciores videri poterant, si morte tempestitiva turpem exitum effugissent. Ita ridet, inter alias, supplicationem pro Pompejo factam Juvenalis d. l.

*Provida Pompejo dederat Campania febres
Optandas; Sed multæ urbes & publica vota
Vicerunt: Igitur fortuna ipsius & urbis
Servatum victo caput abstulit: hoc cruciatu*

Lentulus, hanc poena caruit: ceciditque Cethegus

Integer: Jacuit Catilina cadavere toto.

Pro liberis quoque suis non orabant, ut virtutibus præditi, ut viri honesti, ut reipublicæ utiles evaderent: sed ut diu viverent; quod precum genus tam frequens inter Romanos erat, ut ipsum *Superstitionis* nomen inde originem ceperit: qui totos dies precabantur & immolabant, ut **LIBERI SIBI SUPERSTITES ESSENT**, *Superstitiosi sunt appellati: quod nomen postea latius patuit*, inquit Cicero, de *Natura Deorum*, L. II. Immò, quod adhuc longe futilius & ineptius est, de formositate & pulchritudine liberorum maxime Deos sollicitabant.

*Formam optat modico, pueris, majore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia
Mater.*

Juven. l. c.

Quas Matrum preces ita exprimit Persius, Sat. II.

*Hunc optent generum Rex & Regina: Puella
Hunc rapiant: quicquid calcaverit hic, rosa
fiat.*

Neque est quod miremur gentilium vulgus tam jejuna, tam vana precatum, cum ipsi Philosophi in eodem luto hærent, docerent, quæ publice: non ea, quæ animum spectant, quas res Spirituales nos vocamus; sed mere temporalia a summo Numine deposcenda esse.

se. Audiamus modo Ciceronem, de Nat. Deor. Libro III. *Judicium, inquit, hoc omnium mortalium est; fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. Cujus doctrinae rationem reddit in paulo precedentibus tali hypothese non indignam: Nimirum propter virtutem jure laudamur & in virtute recte gloriamur. Quod non contingeret, si id donum a Deo, non a nobis, haberemus. Unde porro argumentatur, neque gratias superis agendas esse, quod animæ, sed quod corpori, benefecerint. Pergit enim: Num quis quod bonus vir esset, gratias diis egit unquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis: Jovemque, Optimum maximum, ob eas res, appellant; non quod nos justos, temperatos, sapientes efficiat: sed quod salvos, incolumes, opulentos. En egregiam Tullii Philosophiam! cumque hoc in ligno viridi accideret, quid de arido erat sperandum? (f)*

Class. II. Fasc. IV.

Ss

§. IV.

(f) Addi hic jure merito potuisset precandi formula apud M. Catonem de re rustica c. 141. ubi præcipit, quid in lustratione agri incumbat: *Mars Pater, te precor, quaesoque, uti sis volens propitiusque mihi, domo, familiaeque nostrae, quoque rei ergo agrum, terram, fundumque meum suo vitauralia circumagi jussi, uti tu morbos invisos, visosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiesque prohibefferis, defendas, averruncesque. Utique tu frumenta, fruges, vineta, virgultaque grandire, beneque evadere sinas. Pastores pecuaque salva servaffis, dvisque bonam salutem, valetudinemque mihi, domo, familiaeque nostrae.* Harumce
rerum

Interim, sicuti, quod in proverbio est, homines nihil agendo male agere discunt: ita gentiles res nihili precando, ad petendum *absurda mala & iniqua*, facile dilapsi sunt.

Didonis exemplum supra dedimus, Deorum Dearumque aures vellicantis, quo maximam malam crucem pio Ænæ imprecaretur; quod in foemina quidem non mirandum.

Horatii illud:

Pulchra Laverna

Da mihi fallere, da justum sanctumque videri

magis notum est, quam ut hic repeti mereatur.

At aliud precum iniquarum specimen, idque satis insolens, reperio, in Epistola quadam Libanii ad Palladium, quæ inter centum illas, quas, non ita pridem, edidit Cl. Wolfius, octogesima sexta est. „Scribit Sophista „adolefcentem, qui discipulus ejus longo tempore fuerat, capitale delictum commisisse: „Factum laudari non posse; sed hominem „adeo scelestum se ipsum reprehendere quidem fatetur: puniri autem ægerrime se laturum addit, si vel maxime leges ita postulent.

Tan-

rerum ergo fundi, terrae, agrique mei lustrandi, lustrique faciendi ergo, sicuti dixi, mactæ hisce suovitaurilibus lactentibus immolandis esto. Mars pater ejusdem rei ergo, mactæ hisce suovitaurilibus lactentibus esto. Encum multiloquio conjunctum stultiloquium. F.A.L.

Tandem subjicit: Διὰ τῆτο πρὸς μὲν τὸν δοκιμα-
σὴν ἔδεν γράφω περὶ τῆς Φιλανθρωπίας· τοῖς θεοῖς δὲ
εὐχομαι τὸν ἐταῖρον ἡμῶν ἐκσωσάι. Propterea ad JU-
DICEM quidem, de humanitate exercenda, nihil
scribo: DEOS autem precor, ut amicum nobis a
pœna immunem præsent. Itaque rem iniquissi-
mam, quam leges ulciscebantur, quam ipse
damnabat sophista, quam a Judicis humani-
tate non desiderandam intelligebat, a Deorum
immortalium, justitia dicam, an injustitia?
exorare, non dubitavit.

Preces porro impiissimas, suo tempore
orantibus satis consuetas, fugillat Persius
Sat. II.

Sub lingua immurmurat: ὄ σὶ

Ebullit patruī præclarum funus! ὄ σὶ

Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro

*Hercule! pupillumve utinam, quem proximus
hæres*

*Impello, expungam! namque est scabiosus ὄ
aër*

Bile tumet. Nerio jam tertia conditur uxor.

Hæc sancta ut possas, Tiberino in flumine mergis

Mane caput bis terque ὄ noctem flumine purgas.

Denique preces invenimus apud Plautum in
Aulularia Act. IV. sc. 2. nescio an malas magis,
quam ridiculas, quibus senex Euclio Deæ FI-
DEI commendat thesaurum suum in templo
ejus absconditum. Istas corrollidis loco cœ-
teris ineptis Ethnicorum Orationibus adjicere
lubet:

Tu modo cave cuiquam indicassis aurum meum esse
istic, FIDES!

Non metuo ne quisquam inveniatur; ita probe in
latebris situm est.

Edepol! ne illic pulchram prædam agat, si quis
illam invenerit;

Aulam onustam auro! verum id te quaeso, ut
prohibeas, FIDES!

Vide FIDES! etiam atque etiam nunc, salvam ut
aulam abs te auferam;

Tuae fidei concredidi aurum: in tuo luco & fano
modo est situm.

Strobilus è contra, qui thesaurum suffurari in-
tendebat, sic precatur:

FIDES!

Cave tu illi fidelis, quaeso, potius fueris quam mi-
hi. (g)

O cur-

(g) Ad impias preces merito hoc mercatoris votum
Fast. V. adnumeratur:

Ablue praeteriti perjuriam temporis, inquit,

Ablue praeterita perfida verba fide.

Sive ego te feci testem, falsoque citavi

Non audituri nomina vana Iovis.

Sive Deum prudens alium, Divamque fefelli,

Abstulerint celeres improba verba Noti.

Et pereant veniente die perjuriam nobis,

Nec curent Superi, si qua locutus ero.

Da modo lucra mihi, da factis gaudia lucro,

Et face, ut emtori verba dedisse juvet.

Talia nefaria vota submissa voce proponere & Diis
quasi insusurrare solebant. Sic ille impius apud Pe-
tronium c. 85. timidissimo murmure votum fecit. Ubi con-

con-

O curvæ in terras animæ & cælestium
inanes!

Nolite ergo assimilari eis.

APPENDICULA EDITORIS.

Istud autem hic non debet prætermitti, licet Salvator noster *battologiam* inter vitia gentilium referat, propterea tamen discipulos ab illa dehortari, quia eadem apud Judæos & præcipue Phariseos jam nimium quantû irrepserat. *Grotio* quidem videtur βαττολογίας vitio Judæos minus fuisse obnoxios. Objecta tamen Pharisæis est a Salvatore προσευχῶν μακρότης Matt. XXIII. 14. Tautologiis sane preces eorum abundasse patet ex reliquiis. Talis est formula precum pro novi anni felicitate novies uno tenore reiterata. Adde illustre ejus exemplum, quod *J. Seldenus* excerpfit de Synedr. lib. 1. c. 12. repetitum ex parte a Clerico in Annot. Hammondianis. Vide quæ de triplici Amen notavit *Buxtorfius* Synag. c. 5. Hinc Sirac. 7, 15. præscriptum: μη δευτερώσης λόγον. Cui directe videtur contrariari istud Magistorum Hierosol. *Taanith* fol. 67. כל המרבה בחפלה נענה i. Omnis

Ss 3

mul-

confer commentatores. Hæc impia illa verba, quæ Cl. Author e: *Horatio* citat, immediate præcedit illud:

Jane Pater care, clare cum dixit Apollo

Labra movet metuens audiri: Pulchra Laverna &c.

Idem ex citate *Perfii* loco conspicitur. F.A.L.

multiplicans orationem auditur. Quid magis batto-
 logicū, quam preces in novilunio, ex *Minbagim*
 fol. 13. à Cl. *Sauberto* notatæ? ubi inter alia
 inani tautologia ajunt: 'ברוך יוצרך' ברוך עושך
 'ברוך קונך' ברוך בוראך
Benedictus creator tuus:
Benedictus qui te fecit: *Benedictus Dominus tuus;*
Benedictus plastes tuus. Postea tres saltus, quam
 possunt, altissimos, versus cœlum faciunt:
 terna vice repetitis h. v. לשם שאני רוקד לננוד
 ואינו יכול ליגע בכך לא יוכלו כל אויבי ליגע בי
 לרעה i. *Sicut ego exilio ad te, nec possum tamen*
tangere te; sic non possint omnes inimici mei tangere
me, ut noceant. Idem de precibus Ebr. c. 5. §. 13.
 ex *Massechet Berachot* probat Judæos semper
 ampliores & protractas preces brevibus præ-
 tulisse multis parasangis, eo usque, ut proli-
 xam orationem numerarent inter eas res, quæ
 מאריכין ימיו ושנותיו של אדם i. *protrahunt dies*
 Ḥ *annos hominis.* Et memorabile est exemplum,
 quod ex *Berach.* fol. 32. citatur atque Latine
 heic adscribimus: *Tradunt Rabbini, majores re-*
ligiosos moratos fuisse per spatium horæ (ante pre-
ces) per spatium horæ precatos Ḥ rursus moratos
per spatium horæ (post preces) Quandoquidem
igitur novem horas diei precibus immorando consu-
merent, quæ legem reliquam potuerun servare, aut
qui opificia sua agere? Adde quod commen-
dent preces frequentes, benedictionesq; quas
non ad octodecim solum singulis diebus restrin-
gunt, sed ad מאות ברכות centum bædictiones ex-
tendunt.

Nec

Nec dubitandum est, in eo quoque cum gentilibus Judæos eadem oberrasse chorda, quod nimium *precibus meritum* adscripserint. Quo referenda merito verba R. Bechai in Cadh hak-kæmach fol. 80. col. 2. גדול כוח התפלה אפילו לשנות הטבע ולהנצל מן הסכנה ולבטל הנגזר i. *Magna vis est precum etiam ad immutandum naturam, ad liberandum ex periculis & ad irritum reddendum decretum* nempe divinum. Quin omnibus sacrificiis eas æquipollere autumant, de quo conferri possunt *Saubertus* de prec. c. 1. §. 1. *Lent* Theol. Jud. c. XIII. §. 8. *Eisenmenger* Entd. Judenth. P. II. c. IV. p. 281. & præcipue *Edzardus* in Berach. p. 183. coll. p. 189. Ex quo postremo lubet adhuc addere exemplum, quo utrumque & inanis repetitio & fallax meritum probatur, quod legitur *Berachot*, fol. 4. col. 2. כל האומר תהלה לרוד בכול יום מובטח לו שהוא i. *Quisquis singulis diebus (Edzardus habet: ter in die) recitat Psalmum CXLV. qui incipit a verbis תהלה לרוד, certo poterit esse persuasus, quod sit futurus heres vitæ æternæ.*

Ratio autem, cur Salvator tam studiose discipulos suos a more hoc gentili, qui in Pharisæismum irrepserat, dehortaretur, illa præcipue fuit, quod prævideret eandem superstitionem in ipsa Ecclesia Christiana aliquando grassaturam. Quid enim est βαττολογεῖν, si illud non sunt superstitionis Pontificiorum litanæ, collectæ, horæ, preces, ad campanarum pulsum aut rosariorum modos recitatæ? Con-

fuli de his nugacissimis battologiis & foedissime
 adfecto iis merito possunt *Joh. Raynoldus* de
 Idolol. Eccl. Rom. p. 296. *Hospinianus* de Orig.
 error. p. 82. *Joh. Oecolampadius* serm. de lau-
 dando in Maria Deo p. 7. 8. Nobis hic sufficit
 audire testem domesticum, scriptorem Pon-
 tificium *Polydorum Vergilium* de inventor. rer.
 lib. V. c. 9. qui recitatis variis de precibus
 Christianis præceptis Salvatoris, inter quæ
 nostri quoque loci non est oblitus, subjungit:
 „Coeterum ut rationem cum Deo habere pos-
 „semus, quoties ipsam dominicam precem
 „cum angelica salutatione recitaremus, est
 „modus orandi postremo inventus, per cal-
 „culos, ut ita dicam, ligneos, quos vulgus
 „modo *preculas*, modo *Pater nostros* appellat.
 „Ii numero quinquaginta quinque ita ordine
 „distinguuntur, ut post denos, singuli maju-
 „sculi affigantur filo, sunt enim perforati, &
 „quot hi sunt, toties dominicam precem, quot
 „illi, toties angelicam salutationem ter nume-
 „rum ineundo recitent, terque Symbolum
 „brevius inferant. Et id divæ *Mariæ virginis*
 „*Psalterium* nuncupant. Ejus rei author fertur
 „*Petrus Eremita*, homo Gallus, civis Ambia-
 „nensis, qui abhinc annos 430. hoc est, circi-
 „ter annum salutis humanæ MXC auctoritate
 „floruit, egitque cum Urbano Rom. Pontifice,
 „ut bellum Afraticum a nostris sumtum fuerit,
 „quo Hierosolyma recepta sunt. Hodie tan-
 „tus honor ejusmodi calculis accessi, ut non
 modo

„modo ex ligno, succino & corallio, sed ex
 „auro argentoque fiant, sintque mulieribus
 „instar ornamenti. F.A.L.

IV.

GERHARDI OUTHOVII,

In Psalmi II. comma 7.

Observationes, quibus
 potissimum disceptatur, an
 voce ׀ימ ׀terna generatio
 indigitetur?

ARGUMENTUM.

- §. 1. Summa dicendorum §. 2. Versio Chaldaica affer-
 tur. *Buxtorffius* & *Bythnerus* notantur. §. 3. Græci,
 aliique interpretes vocem ׀ non pro particula, sed
 nomine divino habent. §. 4. Qui pro particula ha-
 bent, ipsi quoque discrepant. §. 5. ׀ designat *sta-*
tutum, ordinationem. §. 6. Quis in hoc commate &
 quando locutus sit. §. 7. Per *Filium* quidam Rabbinii
 Davidem, alii Messiam intelligunt. §. 8. Apud Chri-
 stianos in confessio est, Christum designari. §. 9. Se-
 quentium Verborum: *ego hodie genui te* varix ver-
 siones. §. 10. Verbum ׀ explicatur: Prov. XVII.
 17. illustratur. *Γεννῶν, τίχτειν, gignere, parere* de viris
 & mulieribus promiscue usurpatur. §. 11. ׀ nun-
 quam *aeternitatem*, sed semper *definitum tempus* desi-
 gnat. *Altingii παρόραμα.* *Schmidius* refutatur. *Σήμερον*
 §. 12. Præstantissimorum Theologorum Protestantis

Ecclesiæ, Piscatoris, Pellicani, Calvini, Bugenhagenii, Bucerii &c. consensus. §. 13. Patres in eandem sententiam conspirantes haut pauci. §. 14. Æterna & divina Filii generatio asseritur. §. 15. Refutantur, qui nomen Filii pro nomine mere œconomico habent. De loco Hebr. V. 8. differitur. Post particulam *καί* frequenter *ἐμὸς* subauditur. §. 16. Æterna generatio ex vocibus: *filius meus es tu*, asseritur. §. 17. Vocula *hodie* ad tempus *φανερώσεως* Christi spectat. Quid sit *ἀναστήσας* Act. XIII. 33. dispicitur. Vera lectio Act. II. 30. contra *Millium* vindicatur. §. 18. Conferatur Rom. I. 4. ubi locus noster ad resurrectionem Christi applicatur. §. 19. Additur Hebr. V. 5. ubi idem ad demonstrandam legitimam Christi vocationem ad munus sacerdotale adhibetur. *Schlichtingius* refellitur. §. 20. Scopus commatis indicatur.

§. I.

Licet scopus meus non sit, ubique plenum dare verborum commentarium; Sed versionem Græcorum interpretum, maximè τῶν ὁ, conferre cum textu sacro, inferendo tamen aliquando hinc & inde quasdam observationes; tamen quoniam hic versus variè redditus primùm variorum hic proponam versiones, deinde quomodo hic locus a quibusdam Theologis Orthodoxis, præsertim a Calvino ac Bugenahgio & a variis Patribus explicetur. Denique meam quoque sententiam apertè dicam ac ostendam, quam aptè hic locus ter in N. Test. allegetur.

§. II.

Versio Chaldaica frustatim allegatur à Cl.

Cl. Buxtorfio in *Lexico Talmud.* col. 150.
 Ⲅ 668. ubi hæc verba **לִי אָבָא לְכָבֵד**
אֲנָה זְכָאָה ita reddit, *dilectus ut filius patri suo,*
tu mihi purus es. Ubi de voce **זְכָאָה** dicit, quod
 non tantum sit *purus*; sed & *Justus, insons, inno-*
cens & col. 345. In eodem *Lexico* allegat Bux-
 torfius ex *Psalmo* 2, 7. **אֲנִי בְרִי אָתָּה** *filius meus tu es.*
 Verum hæc ultima in versione Chaldaica non
 reperio, ita enim **תְּרַגְּמוּ** seu Chaldæus Para-
 phraſtes totum hunc verſum Chaldaice vertit,
אֲשַׁחֲעִי קִימָא דִּי אָמַר חֲבִיב כְּבָר לְאָבָא לִי
אֲנָה זְכָאָה כְּאֵלוּ יֻמָּא דִּין בְּרִיתְךָ: ita lego Bi-
 bliis Polyglottis *Tom. 3.* ubi hæc verba ita La-
 tine redduntur, *recitabo pactum, (quod) Do-*
minus dixit, dilecte sicut filius est patri, tu mihi pu-
rus, ac si die ista creaviffem l. c. ubi **אֲנִי בְרִי** *tu filius*
meus es, non reperiantur. Porro tradit Byth-
 nerus in *Lyra Prophetica* ad hunc Locum, quod
 Targum legerit **דִּיאֲלֵהָא קִימָא** scil. *narrabo Dei*
pactum, ubi addit, quod Chaldæus uti *LXX.*
 acceperunt particulam **אֵל** *ad, de, Ꝛc.* pro **אֵל**
 i. e. *Deus*, ita refertur quoque in *Commenta-*
riis Poli ad hunc Locum: verum nec hoc in
 versione Chaldæi invenio, saltem prout ex-
 tat in *Bibliis Polyglottis*, ubi potius videtur,
 quod Chaldæus hanc particulam pro nota ac-
 cusativi acceperit, cum vertit **אֲשַׁחֲעִי קִימָא**
אָמַר דִּי id est, *narrabo decretum, seu pactum,*
Dominus dixit, Ꝛc. nam **דִּי** pertinet ad **אָמַר**, &
 ponitur a Targumistis aliquando pro vene-
 rando ac gloriosissimo nomine **יְהוָה**, uti hic,
 &

& Psal. 149, 4. sicuti pro eodem nomine sapius quoque scribunt ך׳, ut *Jon.* 1, 1. & ubique in libris Chronicorum, qui in Bibliis Polyglottis non habentur; sed quos editos habeo cura Matth. Frid. Beckii typ. Ann. 1680. & 1683. quorum ultima editio Leusdenium adhuc latebat, sic etiam pro יה׳ legitur ך׳ *Gen.* 15, 2. imo etiam pro אלהים, ut *Gen.* 1, 1. ubi pro בראשית ברא אלהים ברא ברא, & in Targum Jonathan ben Uziel *Gen.* 12, 8. pro יהוה scribitur ך׳, olim Rabbini pro יהוה quoque scripsere tres jodim, hoc modo (׳, ׳) uti Leusden annotat, in not. ad *Jonam* pag. 33.

§. III.

LXX. Interpretes hunc versum sic vertunt, διαγγέλλων τὸ πρόσταγμα κυρίου. Κύριε εἶπε πρὸς με, Τὸς μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γέγεννηκά σε, i. e. *prædicans præceptum Domini. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Annectunt hæc verba prioribus sic, *constitutus sum rex* &c. *prædicans præceptum*, eodem modo ut Æthiopica versio habet, in eo igitur aliquomodo differunt a textu Hebræo, quia hic in prima persona Filius Dei, seu ipse Unctus Rex Sion dicit אספרה *narrabo, enarrabo, prædicabo, promulgabo, recensẽbo, annunciabo: אספר, quod in piel ספר notat dictum aut factum aliquod enumerare, referre, recensere, vide Ps. 44, 2. & 69, 27.*

Hieronimus quoque reddebat, *annunciabo Dei*

Dei præceptum : sic fere Arabs, qui hæc & præcedentia sic vertit, *constituit me dominus Regem pro se super Sion, montem sanctitatis suæ, ut annunciam præceptum Domini.* V. Editio habet, *καταγγέλλων εἰς θεὸν διαθήκην, pronuncians in Deum testamentum.* Theodotio, *διαγγέλλων ἰσχυροῦ πρόσταγμα, annuncians ipsius fortis præceptum,* & Scholion, *ἀναγγέλλων ἰσχυρὸν ἀκερβασμὸν, annuncians ipsius fortis mandatum, seu accuratam doctrinam, ab ἀκερβάζειν, accuratè indagare.* Ubi Drusius addit, videtur esse interpretamentum Aquilæ, sed tamen non affirmo hoc. S. Augustinus habet, *prædicans præceptum ejus.* Sic Hilarius, & Cyprianus l. 2. *adversus Jud. adnuncians imperium ejus.* Hi omnes ferè particulam **ⲛ** accepere, tanquam esset **ⲛ** id est, *Deus.* Verum quidem est, quod *Deus*, vel *Jehova*, vel *Dominus* hic subintelligitur in sensu, uti Piscator rectè observat, quando Christus qui hic introducitur loquens, dicit : *enarraturus sum decretum*, scil. *Decretum Jehovæ Dei Patris*, adeout differentia in sensu nulla sit a textu hebræo : at natura linguæ Hebrææ non patitur, ut nomen, quod sic regitur, præcedat regentem vocem : non enim dicitur in hebræa Lingua **ⲛⲟⲩ ⲁⲗ**, *Dei Decretum*, sed **ⲁⲗ ⲛⲟⲩ** *decretum Dei*, ut **ⲁⲗ ⲛⲟⲩⲙⲟⲩ** *exaltationes Dei*, Ps. 149, 6. **ⲁⲗ ⲁⲓⲣⲓ** *cedri Dei*, Ps. 80, 11. & sic in aliis.

§. IV.

Cum igitur Unctus Dei Filius dicit, *narrabo*

rabo אל חק & אל ut particula accipitur, hinc variant quoque adhuc Interpretes, quomodo hæc particula sit accipienda. Coccejus & alii vertunt *ad*, adeo ut אל, *ad*, hic notet congruentiam & proportionem rei ad rem ut *Jes.* 38, 19. אב לבנים יודיע אל אמתה. *pater Filiis notificabit ad*, i. e. *juxta*, *veritatem tuam*, & exponi posset per *juxta*, vel *secundum*, quia Christus ipse dicit, *a me ipso nihil facio, sed quemadmodum docuit me pater meus, hæc loquor.* adeo ut Christus hic considerari posset ut peritus ספר, & verus Propheta, qui in bene fungendo suo munere prophetico secundum Dei Patris decretum ac statutum suam prædicationem rectè instituit.

Alii tamen hanc particulam אל vertunt per *de*, uti Belgæ nostri, vertentes, *ik zal van't besluit verbaalen*, eodem modo uti verba *Pl.* 69, 27. אל מכאוב הלליה יספרי. iidem Belgæ vertunt, *ende maaken een præt van de smerten uwer wonden*, Latinè *de dolore vulnerum*, vel *vulneratorum, tuorum narrabant*: Licet Coccejus ibi quoque per *ad* vel *juxta* exponat, & Junius per *secundum*. Verum quod אל non rarò pro *de* sumitur vide *Job.* 42, 7. 8. *Jes.* 37, 33. *Jer.* 22, 11. & 27, 13. *Ezech.* 21, 28. & alibi, eodem modo uti על accipitur *Joël.* 1, 3. עליה לבניכם ספרי. *de hoc filiis vestris narrate* sic multi hic quoque dicunt, *narrabo de decreto, fere ut Lutherus dixit ich will von einer solchen Weise predigen.*

Sed potest eadem hæc particula exponi ut
nota

notu accusativi אַת, maximè quia verbum ספר
 cum nudo accusativo הוּ occurrit, Ps. 50, 17.
 ספר הוּ enarrare decreta mea. Quemadmodum
 Kimchi, qui in expositione verborum sensus
 nimis aberrat, cum hæc omnia Davidi, non
 Messia, applicat, in libro Rad. Col. 30. dicit,
 הוּ אַת אַתּ אַתּ אַתּ אַתּ אַתּ id est, est
 quoque [particula אַל] pro אַת [accusativi no-
 ta] ut narrabo institutum Ps. 2, 7. notante Christ.
 Cellario in instit. Rabbinismi, pag. 81. Analector.
 Rabbin. Relandi. Quemadmodum Cel. J. Al-
 tingius quoque accepit, ac ex Jer. 10, 2. pro-
 bat, licet quoque per de exponat, cum ait, reci-
 tabo Decretum, vel de decreto, intelligens per
 decretum foedus illud, quod Deus Pater cum
 ipso iniit: quoniam הוּ, & ברית & שבועה, di-
 cit, Synonyma sunt. J. Altingii Comment. Theo-
 retico pract. in hunc Loc.

§. V.

LXX. הוּ hic reddunt per πρόσταγμα, præ-
 ceptum, alibi ἀκριβασμὸν, accuratam expositio-
 nem, alibi δικαίωμα, jus, justam ordinationem,
 alibi quoque ἐντολή, mandatum, &c. הוּ enim
 hic indicat ordinationem paternæ voluntatis,
 seu formulam paternæ ordinationis, in genere
 statutum, a הוּ sculpsit, delineavit, descripsit, etiã sta-
 tuit, decrevit: decreta enim & mandata Legisla-
 torum olim tabulis insculpebantur: unde הוּ
 Græcis quoque est ἀρχων, βασιλεύς, ἡγούμενος,
 vel legislator qui leges præscribit, dicit, man-
 dat, ac jubet, quid faciendum sit, officiaque de-
 finit,

finit, quæ præstanda sint. Lutherus in priori versione vertebat, *ich wil von dem Satz predigen, das der HErr zu mir gesaget hat*, postea vero, ut in Bibliis Magdeb. 1578. extat, dicebat, *ich wil von einer solchen Wyse predigen, dat de HÈre tho my gesecht hefft, du bist myn Sone, huden hebbe ick dy getelet*. Ubi glossa ipsius hæc addit, *van einer nyen Wyse, dat ys de nye Lere des Evangelii, van Christo Gades Sone*. Et sic Hieronymus *p^r* explicat per *Evangelicam Doctrinam* totam, quæ de voluntate Dei gratiosa in Christo agit, quamque Messias adeo fideliter promulgavit, ut nihil ex se ipso locutus sit; sed omnia ex mandato Patris.

§. VI.

Porro quando dicitur, *Dominus dixit ad me*, refert Rabbi Salomo hæc ad illa, quæ Davidi dicta sunt per Nathanem, Gadem & Samuellem, uti Rabbi David Kimchi exponit. Verum nostri Theologi in Cœlesti schola melius instituti hoc ita exponunt, quod Pater Filio suo hæc dixerit vel ab æterno in Decreto, vel in tempore in baptismo Domini nostri Jesu Christi, quum baptizatus est a Johanne, *Matt. 3.* item quum in monte est transfiguratus coram tribus Discipulis, *Matt. 17, 5.* uti Piscator loquitur, & tandem quum Pater Christum ex mortuis resuscitavit. Tunc dixit,

§. VII.

לרתיך *filius meus tu es,*
 ego hodie te genui. Rabbi Kimchi, ut & alii,
 Com-

Commentatores Judæi hæc omnia referunt ad Davidem, & ad tempus, quo David a Deo rex est constitutus, unctus & sic adoptatus. Vide Kimchii *Comment. ad h. l. in Analect. Rabbin. Relandi pag. 34.* ubi Davidem ita introducit loquentem, ab ipso scil. Deo, *mibi regnum obvenit, ea propter nullus est homo qui de illo jure contendere possit, quoniam Deus suscepit me in filium, sicut dixit Samueli, quia providi mihi Regem inter filios ejus: ac si diceret, Rex iste meus est, & filius meus, & servus meus qui mihi obtemperat, omnis enim quia ita mihi obedit, ut Deo serviat, vocabitur filius ejus.* Et ad verba, *ego hodie genuite*, sic commentatur Kimchi, *dies quo in regem unctus fuit, ipse est, quo Deus eum suscepit in filium.* In fine tamen פירוש, seu commentarii, ad hunc psalmum fatetur quosdam Magistros Judæorum fuisse, qui *hunc psalmum interpretati sunt: על גוג ומגוג ומשיח הוא מלך המשיח: Magog & de Messia, hoc est, de rege Messia, qui Gog, in regione Mägog regnantem & Jerosolyma oppugnaturum interficiet, ut ad cap. 38. & 39. Ezechielis dicit.* Verum quomodo ex antiquioribus Judæis quoque fuerint, qui hunc psalmum de Messia interpretati sunt, ostendit Cellarius *in instit. Rabbinismi pag. 86. Analect. Relandi.* Uti & ex recentioribus R. Sadias, R. Moses Maimonides aliique confessi sunt, præsertim etiam R. Menasse ben Israel, qui *lib. 3. de resurrect. mort. cap. 5. pag. m. 293. edit. Amstel. 1635.* ita scribit, *David psalmo secundo meminit belli hu-*

Jus, cum ait, omnes gentes & nationes congregabunt se adversus Deum & Messiam, ad excutendum jugum: nempe quando Messias omnes gentes in potestatem suam redegerit, tum rebelles tumultuabuntur & bello aggredientur Hierosolyma, eaque obsidione undique cingent. At Dominus, inquit David, videbit illas, & perturbabit rebelles estu iræ suæ, ob regem suum Messiam: qui enarrabit Decretum Domini, quo videlicet ipsum in filium sibi elegit, eique dedit possidendos populos omnes, quos confringet virga ferrea &c. Allegatur quoque hic locus a Doctissimo J. Hoornbeekio lib. 5. contr. Judæos cap. 1. ubi argumenta Rabbi Davidis Kimchi, quibus oppugnat Deitatem Christi ex æterna generatione Patris, refutat, ac demonstrat, licet Messias dicatur ut filius genitus a Patre, tamen non sequi, quod Divinitas aut Deitas dividatur, ut Kimchi objiciebat; propter personas enim, dicebat Hoornbeekius, non dividitur Deitas, nulla ratione, sed una, eadem, indivisibilis Deitas est in tribus personis: nec hic partes ullæ sunt, nulla vel divisio, vel multiplicatio. Addens etiam, quo verò modo filius a Patre generatus sit, nobis est ἀνεξιχνίαστον. Scimus spirituales esse generationem & plane divinam, corporeo conceptu vel modulo non finiendam. Sufficit nobis τὸ ὄν, & quod res sit, eamq; devota fide suscipere & complecti: neque in arcana & imperscrutabilia involare fas sit aut religio.

§. VIII.

Nos Christiani dubitare minimè possumus,
hunc

hunc locum agere de Christo, uncto a Patre super Sionem montem sanctitatis suæ, quia hic Locuster ab Apostolo Paulo allegatur, ac Christo applicatur, (1) *Actor.* 13,33. ubi, postquam Apostolus dixerat ac demonstraverat, Deum Patrem implevisse promissionem Patribus factam, excitando, ac ex mortuis resuscitando Jesum, vs. 30.32. tandem addit, *ὡς καὶ ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ γεγενῆσθαι Ἰός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, ut etiam in secundo Psalmo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* (2) *Hebr.* 1, 5. ubi in extollenda Majestate Christi, quam supra omnes Angelos jure æternæ ac naturalis filiationis possidet, ait, *τίτι γὰρ εἶπέ ποτε ἰῶν ἀγγέλων Ἰός μου εἶ σὺ ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. Cui enim Angelorum unquam dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te? 3tio Hebr. 5, 5. ubi idem Apostolus ostendit, quomodo Christus sibi ipsi hunc honorem, ut fieret Pontifex, non tribuit, sed Pater, qui ipsum genuerat, ac ei dixerat, Ἰός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, Filius meus tu es, ego hodie genui te. Præterquam quod prima Ecclesia testata erat, *Act.* 4, 25. 26. 27. 28. unctum illum, adversus quem insurrexerant reges ac principes, & qui hic jam loquitur, esse Jesum Christum, verum Messiam, psalmumque hunc secundum, licet ἀνεπίγραφος καὶ ἀπικλῶς in hebræo fonte sit, a Davide tamen esse compositum, & argumentum hujus psalmi tam manifestissimè ad Messiae regnum pertinere, ut ne Judæo-*

rum quidem obstinatissimi id negare potuerint. (a)

§. IX.

(a) Non indignum hic est repetitu testimonium R. Salomonis a Raymundo jam Pug, Fid. Parte II. dist. I. c. 7. §. 13. excerptum, cum & veritatem & pessimam Judæorum fidem in aprico ponat: למה רגשו גוים וגו' הן ל דרשו על מלך המשיח לביאת גוג ולפי ששמעו ולחשובת המינין נכון לפירשו על דוד עצמו i. *Quare fremuerunt gentes &c. Magistrinostri pia memoria exposuerunt ipsum super Rege Messia in adventu Gog & Magog. Sed propter hoc quod sonat, & ut possit responderi hereticis convenit ipsum exponere de ipso David.* Verba illa, לחשובת המינין utut in Bombergiana Bibliorum Hebraicorum, quæ Venetiis cum Rabbinorum commentariis excusa est, editione inveniuntur, in Buxtorfiana tamen prætermittuntur. Neque legit ea in versione sua *Breithauptius*. Vide tamen eum in notis & confer *Gomarum* Comment. in Hebr. Opp. p. m. 609. Qui vero plura Rabbinorum loca Psalmum & verba nostra Messia vindicantia inspicere cupit, adeat *Pocockium* Not. Philol. cap. VIII. *Frischmuthum* singulari dissertatione id agentem, quæ *Thefauri Theolog. Philol. Tom. I.* inserta est, *Edzardum* Præfat. Avod. Sar. I. pag. 15. 16. Sane circa tempora Christi in carnem missi unanimem hanc ferme scholæ Judaicæ sententiam fuisse, vel inde colligimus, quod toties tam in confessionibus discipulorum, quam in examine Caiphæ, prædicata *Christi & Filii Dei* juncta compareant Matth. XVI. 16. XXVI. 63. Joh. VI. 69. XI. 27. Universalis enim hæc traditio, *Christum esse Filium Dei*, ex hoc potissimum psaltis loco promanavit, cum idem, qui commate 2. *unctus Jehova* dicitur, & de cujus *unctione* vs. 6. *ograt*, hic statim *Filius* ejusdem appelletur. F. A. L.

§. IX.

Sed quæstio est de interpretatione ac rectâ ex-
plicatione horum verborum, בני תהא אני
קרתה יוהי quæ Græci interpretes sic ver-
tunt, Ἰός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε,
uti ter a Paulo Apostolo in allegatis locis quo-
que versa sunt, Latinis Vulgo, *Filius meus es tu,*
ego hodie genui te, vel ut Tertullianus lib.3. adv.
Marc. fol. m. 75. habet, Filius meus es tu, ego hodie
generavi te. Apollinarius totum hunc locum
hisce versibus poëticè expressit,

Ἀγγέλων βασιλῆος ἐφετημὴ οὐρανόιο
Ἰός ἐμοῖο, πατὴρ θεὸς ἡὺδα πρὸς με, πέλεις σύ.
Ἡματι προσφάτω αὐτὸς σ' εὐδοκίησα γενέσθαι.

id est,

Predicans Regis præceptum celestis:
Filius meus, Pater dixit ad me, es tu:

Die recenti ipse te bona voluntate statui nasci.

ubi primum ad ἐφετημὴν, pro קרתה mandatum, præce-
ptū addit βασιλῆος οὐρανόιο, celestis regis; deinde
יוהי, explicat Ἡματι προσφάτω die recenti, &
tandem קרתה, genui te, interpretatur αὐτὸς σ'
εὐδοκίησα (pro εὐδόκησα) γενέσθαι, i.e. placuit mi-
hi, vel ipse volui, te nasci.

§. X.

Verbum קרתה generaliter notat *producere, in*
Lucem edere. Sic Job. 38: 29. וְכִפּוֹר שָׁמַיִם מִי יִלְדוּ
וְפְרִינָאם כְּלִימָאם קִרְתָּהּ, Hinc dicitur
de tempore vel die, Prov. 27. בִּי לֹא-תֵדַע מָה יִלְדֶּה
יוֹם יָבֵא, quia nescis, quid paritura sit dies, quid sub-
sequens dies sit exhibitura, vel ut Poëta lo-

quitur, nescis, quid serus vesper vehat: sic dicitur parere, id est, producere mendacium, ventum &c. Ps. 7, 15. Jes. 26, 8. Hinc & pro fieri, manifestare, demonstrare, palam facere usurpatur, ut Prov. 17, 17, ubi Salomon dicit, *בכל-עת אהב הרע, ויאח לצרה יולד* id est, *omni tempore diligit amicus, & frater ad angustiam, vel ad arcum, vel in angustia, manifestatur*: sic enim præfixum ל saepe ut nota ablativi, tum de loco, & subiecto, tum de instrumento & de tempore in sacra usurpatur Lingua, ut Glassius demonstrat *Phil. Sacr. lib. 4. tr. 1. obs. 6.* Sensus ergo Salomonis dicti est, tempore angustiae patere, amicum, omni tempore amantem, esse fratrem, cum ipsa facto palam facit, ac ostendit, se fratrem esse natum: imo tum patet amicum verè amare, quum non tam prospero & sereno, quam adverso & nubilo tempore amat: nempe quum proximus premitur angustia, ac ingenti mole adversi fati prostratus periculisque objectus gravia ipsi parantur vitæ discrimina, tum amicus verus & sincerus *יאח לצרה יולד* manifestatur ut frater, vel ostendit ac demonstrat, imo declarat se fratrem, cum in angustia suo proximo exhibet fraternum amorem, ac omni diligentia studet eum ex periculo eripere, ut Abraham Lothum captivum eruit è potestate hostium, *Gen. 14.* adeo ut præcipuum amicitiae experimentum ex afflictæ proximi conditione capiatur. Unde Plautus in Epidico dixit,

*Is amicus est, qui in re dubia te iuvat,
Ubi re est opus.*

Rabbini idcirco dicebant, אָבִיב הַתּוֹתָא נְפִישֵׁי אַחֵי, אָבִיב יִרְחַמֵי אָבִיב בְּיוֹנֵי לֹא אַחֵי וְלֹא רַחֲמֵי: id est, ad ostium tabernæ multi sunt fratres & amici; ad ostium carceris nulli fratres neque amici. Schabb. fol. 32. col. 1. Notante quoque Buxtorfio in *Lexico Rabbin.* fere ut Poëta dicebat,

*Si fueris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Ex hisce igitur locis patet generalis significatio verbi יָלַד nempe producere aut palam facere &c. jam speciatim usurpatur de omni editione partus, diciturque de animalibus, ut de ovibus, Gen. 30, 39. 31, 8. ubi Belgæ nostri vertunt per *Lammeren*, de avibus Jer. 17, 11. ubi tunc per *uitbroeden*. Maximè vero usurpatur de mulieribus, & tunc plurimùm vertitur Latinè *parere*, belgicè *baaren* ut Jes. 7, 14. 8, 3. Jer. 29, 6. 50, 12. &c. Et licet Jeremias cap. 30, 6. interroget, אִם-יֵלֵד זָכָר, an pariat masculus? tamen non raro hoc verbum de masculo dicitur, unde Tertullianus hoc loco vertit per *generare*, Lutherus *teelen*, uti semel Belgæ per *teelen* verterunt Ezech. 31, 6. hoc vero loco per *genereeren*, uti & Ps. 17, 21. & alibi sæpe etiam, cum de viris est sermo, per *gewinnen*, ut Prov. 23, 22. & aliis in locis. Hinc de Patre & matre usurpatur Zach. 13, 3. & dicent ad eum אָבִי וְאִמִּי יוֹלְדֵי דִּי pater ejus & mater ejus, die hem *genereerd hebben*. sic de solo patre usurpatur

Jes. 45, 10. מה-חוליד לאב מה-חוליד *va dicenti patri, quid generas?* & de Deo Jes. 66, 9. האני אשכיר *num ego matricem frangam* Ⲅ *non generarem, dicit Dominus?*

Sed objiciunt Judæi, præsertim Lipmanus, quod significatus verbi ילדתיק in conjugatione Kal non conveniat nisi matri, parienti filium; sed de patre necesse erat dicere הולדתיק, quia hiphil הוליד notat parere fecit, & propriè de viro, ut causa efficiente, dicitur. Respondeo, falsum est, quod hoc verbum tantum in Kal de mulieribus, & in hiphil de viris dicatur, quoniam in kal aliquoties quoque de masculino usurpatur ut Gen. 4, 18. ubi ter in uno versu dicitur de viro, Ⲅ Hirad ילד genuit Mechujael, Ⲅ Mechujael ילד genuit Methuschael, Ⲅ Methuschajel ילד genuit Lamech. Et sic etiam Gen. 10, 8. 13. 15. 24. 26. 1. Chron. 1, 10. 11. 13. 20. & alibi.

Et sic verbum græcum γεννᾶω æque de viris ac de mulieribus dicitur, tam apud sacros quam apud profanos scriptores. Sic de viris per totum caput primum Matthæi, & de muliere Luc. 1, 57. & apud Lucianum, ut Laurentius Valla in Matth. cap. 1. pag. m. 5. quoque observavit. Vide etiam Dieterici *antiq. Nov. Test. pag. 199.* Et licet multi judicent, quod verbum γεννᾶν propriè sit virorum, & γινῆναι mulierum: tamen verbum γινῆναι apud Græcos utrique sexui tribuitur, ut apud Homerum *odys. π. vs. 118, 119,* ubi viris tribuit,

Μοῦνον Λαέρτην Ἀρχεῖσιϥ υἱὸν ἔπικπ,
Μοῦνον δ' αὖ Ὀδυσῆα πατὴρ τέκεν.

i. e.

*Solum Laërtem Arceſius filium genuit,
Solum autem rursus Ulyſſem pater genuit.*

Sic *odys.* ξ. vs. 174. ὃν τέκ' Ὀδυσσεὺς quem, scil. Telemachum, genuit Ulyſſes. Et de mulieribus vide *Hymn. in Apol.* vs. 13, 14. in *Mercur.* vs. 19. & sæpe alibi. Eodem modo uti apud Latinos de utroque sexu dicitur *parere*; ut apud Nonium dicit Cæcilius *hic noster vicinus peperisse se filium memorat, & gignere, pro quo antiqui, ut Varro & alii dicebant genere, unde genimen, apud Tertullianum adv. Hermog. & Genius, apud Censorinum de die natali. Sed hæc ἐν παρόδῳ.*

Cum ergo generalis significatio verbi Ⲅ est *producere, in lucem edere, palam facere*, unde speciatim partui applicatur, quia omne quod nascitur, producit ac in lucem editur, nullas video rationes, quare a generali significatione hujus verbi hoc loco recedendum esset: præsertim quia additur Ⲅⲓⲏ *hodie, i. e. hac die, vel hac præſente die.*

§. XI.

Video multos Theologos hoc adverbium Ⲅⲓⲏ, *hodie*, explicare pro *æternitate*, ac si ex hac phraſi, *ego hodie genui te*, clarum esset, Messiam Filium Dei ab æterno genitum esse: unde Hieronymus hic ait, *Jesus Christus est heri, & hodie & idem in æternum.* Sic Augustinus *hodie quo-*

T t 5

que

que ad aternitatem refert, cum dicit super hunc Locum, *quanquam etiam possit dies ille in prophetia videri, quo Jesus Christus secundum hominem natus est. Tamen hodie, quia presentiam significat, atque in aternitate nec prateritum quicquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit; sed presens tantum, quia quicquid aeternum est, semper est: divinius accipitur secundum id dictum, hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis & sapientia Dei, qui est unigenitus filius, sincerissima fides & catholica predicat. Sic Mollerus, alique viri doctissimi illud היום accipere, uti & Cel. J. Altingius, qui, ut hoc quoque ἐν παρόντι notem, oper. tom. 2. comment. pract. in ps. 2. pag. 4. ex Ez. 29, 3. allegat verba regis Aegypti, אני ילדתני ego me genui, me constitui in hac dignitate. Sanè si ילד in sacra scriptura notaret constituere, multae tollerentur quaestiones circa hunc locum: verum miror hanc Altingii allegationem, quoniam in textu sacro Ezech. 29, 3. non legitur אני ילדתני; sed עשיתני אני ego feci me, vel mihi.*

Aliam interpretationem instituit S. Schmi- dius, quam amplectitur M. Frid. Grunack in *Christi passional. Vet. Test. edit. Berolin. 1715. pag. 85. &c.* Intelligit Vir Doctissimus per היום primum diem in orbe, & ילדתך reddit per plusquamperfectum, *genueram*, simulque subintel- ligit verbum substantivum cum praefixo ב, בהיום, ut sensus sit, *ex quo dies esse cepit, genueram te*: adeo ut non ex una voce היום hodie, sed

sed ex tota phrasi æternitatem colligit. Rationem dat, quia æternitas sic sæpe describitur, ante montes, antequam mundus erat &c. eodem modo ut מיום, a die, sic occurrit Jes. 43, 13. Utigitur מיום dicitur, pro מהיות יום ex quo dies est, juxta R. Salomonem & Aben-Esram; ita היום est pro בהיות היום, cum dies est, vel esse cepit: Sensus ergo esset, antequam dies esse cepit, ego genueram te. Verum plane diversæ significationis sunt היום & מיום; nam מיום est a die vel ut Græci vertunt ἀπ' ἀρχῆς, a principio, uti & Arabs. Targum מעלמא a seculo, & Syriaca versio a primo die; adeo ut sensus sit, a quo dies est, ego sum, vel, ut Piscator & Calvinus ajunt, etiam antequam dies esset, ego eram, imo ante ullum tempus, ut Glasius loquitur. lib. 4. tr. i. phil. Sacr. qua phrasi Deus se æternum pronuntiat, qui fuit antequam adhuc dies erat. At היום plane diversam habet significationem, notat enim simpliciter hoc die, græcè σήμερον, hodie, uti היום ter a Spiritu Sancto in allegatis locis vertitur, quare Schmidii explicatio, בהיות היום cum dies est vel cepit, admitti non potest, quia σήμερον, hodie talem explicationem non patitur. Notum enim est, quod σήμερον, attice τήμερον, ut Mœris Atticista observat, pag. 43. edit. oxon. 1712. & Thomas Magister, qui per τὸ νῦν εἶναι explicat, pag. 177. edit. Bos. dicitur quasi τῆδε ἡμέρᾳ i. e. hoc ipso die. Vel subauditur ἡμέρα, ut sit hodiernus dies, sic Matt. 11, 23. εἰμὲν αὐτῆς

χει τῆς σήμερον, scil. ἡμέρας, mansisset utique in hunc usque diem, quæ vox subintellecta aliquando additur, ut Rom. II, 8. ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας, in hodiernum diem. Sic quoque apud Plutarchum in Fabio δύο νίκας τῇ σήμερον ἡμέρᾳ νενίκηκας, hodie, vel hac die, duplicem victoriam retulisti. Nusquam ergo σήμερον notat ab eterno, vel cum dies esse cepit; Sed semper diem indicat hodiernum vel præsentem, ut Luc. 2, 11. ἐτίχθη ὑμῖν σήμερον σωτήρ, natus est vobis hodie servator. vide quoque Luc. 4, 21. 23, 43. 24, 21. Act. 4, 9. & alibi, vel etiam diem determinatum & opportunum, ut Hebr. 4, 7. πάλιν πινὰ οὐρίζει ἡμέραν, σήμερον, ἐν Δαβὶδ λέγων, μετὰ τοσοῦτον χρόνον. καθὼς εἶρηται, ἡμέρον εἰάν τῆς Φωνῆς αὐτοῦ ἀκούσητε, μὴ σκληρύνητε τὰς καρδίας ὑμῶν.

Et sic Hebr. הוּיָהּ nunquam in Sacra Scriptura indicat *æternitatem*, sed semper certum & definitum tempus, vel tempus jam præsens, quod de æternitate minimè dici potest. Sic Deut. 27, 9. audi Israël הוּיָהּ hoc die effectus es populus Jehovæ Deo tuo, & Deut. 30: 19. contestatus sum in vos הוּיָהּ hodie sic Hos. 4, 5. ita corrues הוּיָהּ hodie & Ps. 95: 7. הוּיָהּ hodie, si vocem ejus audieritis, sic Ps. 119, 91. ad Judicia tua steterunt הוּיָהּ hodie, & Prov. 7, 14. הוּיָהּ hodie reddidi vota mea, & sic centies alibi in Sacra Scriptura, nunquam vero pro *ab eterno*. Quare miror sanè, quomodo Theologi hic per הוּיָהּ intelligere possint æternitatem, in qua nullum præteritum, nec præsens, nec hodie, nec futurum concipi potest,

est, quare non rectè loquuntur, qui æternitatem describunt, ac si iemper præfens esset, & *hodie*, sine successione: quia æternitatem *hodie* dicere, est mera contradictio in adjecto, quoniam *hodie* tempus definitum indicat, & æternitas omne tempus definitum excludit.

§. XII.

Hinc Piscator, Pellicanus, Calvinus, Bugenhagenius, Bucerus *hodie* hoc loco non per æternitatem exponunt, sed per tempus $\Phi\alpha\upsilon\sigma\tau\omega\varsigma$ Jesu Christi. Sane Piscator ad hoc adverbium *hodie* sic breviter commentatur, *hodie quum te excitavi atque in orbem terrarum induxi prophetam, Act. 13, 32. 33.* Et genui te, idem Piscator explicat, *testatus sum me genuisse te addens, testatus est Pater de filio non solum viva voce celitus sonante, sed etiam per opera quæ ipsi dederat facienda. Joan. 5, 36.* Sic Pellicanus *hodie* quoque ad illud tempus refert, quo Christus baptizatus est a Johanne Baptista, & audita vox patris, *hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Ec. Vide eum ad h. l. fol. m. 47.* Sic Bucerus hunc locum interpretatur, cum ait, *sunt, qui de æterna verbi Dei generatione hunc locum intelligant, quorum nolo auctoritatem imminuere, quanquam malim eum de præclara illa Servatoris in regnum cælorum inauguratione facta, cum a Johanne baptizaretur, viso super eo Spiritu Sancto in specie columbe, auditaque voce patris, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, intelligere, Paulus certe in Act. 13, de regno*
Media-

Mediatoris, quod ut homo administrat, hunc locum intellexisse viderur. Sic enim ait, & nos euangelizamus vobis promissionem factam patribus, quod eam Deus filiis illorum nobis, prestitit, resuscitato Jesu, quemadmodum in primo (connectit enim psalmum secundum primo) psalmo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Cum enim hunc locum Paulus in hoc citavit, ut ex eo ostenderet, resuscitandum fuisse Dominum, eum de Servatore, ut homine, utique accepit. Homo enim est mortuus, & a mortuis resuscitatus est. Pulchre verò, quod proposuerat, hinc Paulus probat. Quia enim Dominus unice charus filius Dei & omnium primogenitus erat, tum ab eo genitus, quando in regnum Cælorum ipsum designavit, unxitque Spiritu Sancto præ participibus suis, oportuit, tandem regnum suum destructis hostibus auspicaretur, ipsumque administrare inciperet: ergo resuscitari à mortuis fuit necessum.

Audiamus jam Calvinum nostrum, qui in comment. ad hunc loc. pag. 6. Davidem hic ut typum considerat, at statim ad antitypum Christum omnia transferens, sic loquitur, scio locum hunc de æterna Christi generatione a multis fuisse expositum, qui & in adverbio hodie, argute philosophati sunt, ac si perpetuum actum extra tempus notaret. Sed hujus vaticinii fidelior ac magis idoneus interpret est Paulus, qui Act. 13, 33. ad illam quam dixi cælestis Christi gloriæ demonstrationem nos revocat. Genitus ergo fuisse dicitur, non ut Filius Dei esse, quoad se inciperet, sed ut talis patefieret

fieret mundo. Denique hæc genitura non de mutuo Patris & Filii respectu intelligi debet; sed tantum significat, eum, qui fuerat ab initio absconditus in arcano patris sinu, & obscure deinde sub lege adumbratus, ex quo prodiit cum claris insignibus, cognitum fuisse Filium Dei, sicut etiam dicitur Job. 1, 14. conspeximus gloriam ejus tanquam unigeniti filii. Simul tamen memoria tenendum est, quod Paulus docet ad Romanos cap. 1. a. 4. fuisse declaratum Filium in potentia dum resurrexit a mortuis: ideoque præcipue in diem illum competit quod hic dicitur. Quicquid sit, solenne & legitimum manifestationis tempus Spiritus Sanctus hic designat, sicuti infra Ps. 118, 24. hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & letemur in ea. Hucusque Calvinus, cui adjungo verba Johannis Pomerani Bugenhagii, Episcopi ecclesiæ Wittembergen. quem Lutherus appellat primum in orbe, qui psalterii interpretæ dici mereatur. Ita hic Bugenhagius in comment. ad Psalm. edit. Basil. 1524. pag. m. 14. scribit, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sic solemus post Augustinum interpretari, ut intelligatur hoc de Christi divinitate & æterna a Patre generatione, dicentes, hodie semper apud Deum non præteritum nec futurum. Sed non video, qui conveniat, quod sic præmittitur, Dominus dixit ad me. Periculum hic fuerit, ne verbo genitum Patris filium sic interpretando dicamus. Deinde quod hodie adverbium sic exponimus est præter consuetudinem scripturæ, & argutum magis videtur quam Theologicum, licet sententia vera sit. In psalmo
legi-

legimus, hodie si vocem ejus audieritis. Quod hodie Epistola ad Hebræos interpretatur de tempore Christiano item alibi, hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & letemur in ea. Quam diem Paulus 2. Cor. 6. ex Esaia interpretatur Diem salutis, & tempus acceptum, in quo exaudiamur a Deo per Christum. Ad illud hodie, quod est tempus revelatæ salutis post Christi glorificationem, hic totus psalmus respicit, sicut vides. Et Paulus hæc interpretatur, de Christi resurrectione, Act. 13. dicens, deponentes eum in ligno, posuerunt eum in monumentum, Deus autem suscitavit eum a mortuis, &c. sicut in psalmo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Tum confirmatum est Christi regnum, & vidit pater filium in suo residere solio, quando jam ad immortalitatem Deo per verbum Dei regeneratus est, accepta potestate in cælo & in terra, sicut ipse ait, Matth. ultimo. Ad hanc sententiam quid aliud est, quod dicitur, Dominus dixit ad me, quam, quod Christus est verbo & potentia resuscitatus & immortalis jam vereque Dei Filius (accepto spirituali corpore quod ceciderat animale) factus? ut hæc non intelligas de Christi divinitate, sed de Christi secundum hominem glorificatione, & de ejus in regnum constitutione, de qua hic dicitur. Sicut enim nos in baptismo regeneramur, ut simus filii Dei, tamen ea regeneratio primum perficietur, quando baptismus perficietur in resurrectione novissima, sicut Paulus dicit Rom. 8. expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Item, gemimus adoptionem filiorum Dei, expe-

expectantes redemptionem corporis nostri. Et 1. Job. 3. scimus, quod sumus filii Dei, sed nondum apparuit Sc. in hac enim vita propter fidem pro filiis Dei acceptamur a Deo. Job. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Sc. Sed dum adhuc sumus in carnae repugnante contra Spiritum, plene filii Dei esse non possumus, sed in utero gestamur, donec nativitate perfecta perficiamur. Ita quoque Sc Christus quamvis peccatum non fecerit, tamen per omnia similis nobis factus est, Sc baptizatus ipse quoque est in mortem, sicut dicit Luc. 12. Baptismo habeo baptizari, Sc quomodo coarctor, donec perficiatur? Ad hanc interpretationem pertinet, quod Christus dicitur primogenitus in multis fratribus Rom. 8. Sc clarius Col. 1. Apoc. 1. primogenitus ex mortuis Sc. Sed quid dicimus ad Epistolam ad Hebraeos, quae cap. 1. videtur hoc citare de Christi divinitate? Respondeo, illa epistola duobus primis hoc agit, ut ostendat Christum angelis superiorem, non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem, cui omnia subiecti sunt sub pedes. Intuere epistolam, Sc ita invades. Et de humanitate videtur sentire cum rursus hoc citat cap. 5. dicens, Christus non semetipsum clarificavit. Sc. (b)

Class. II. Fasc. IV.

Uu

S. XIII.

(b) Ut eo magis invidia hujus exegeteos abstergatur, superponit loco addere lubet Viros non minori eruditionis aequae orthodoxias fama in Ecclesia illustres, quibus eadem mens fuit. Sic Camero Sozomen. p. m. 29. Paulus Act. XIII. 33. dicit, Deum post resurrectionem deum Christo dixisse, tu es Filius meus, ego hodie genui te: non quod tum deum coeperit esse Filius Dei

Sc ab

Ita fere ante hos viros Reformatores sententiat Ambrosius, lib. 3. de sacramentis cap. 1. sic scri-

Et ab eo gigni, sed quia tum Deus potentissime per resurrectionem declaravit, Christum esse Filium suum. Hic enim est Scriptura mos, ut res tum dicantur fieri vel nasci, cum manifestantur & sese produnt, ut cum Salomo Prov. 17, 17. ait: amicum nasci in die malo, hoc est, tum sese prodere cum premit nos angustia. Adde Theologum & pium & solidum Fr. Junium, quem qua fronte atheismi labe ē δεινα nunc nuper contaminare ausus sit, vix assequor. Ille ita lib. 1. parall. 35. ad Act. 13, 33. Itaque Filium Pater gignere dicitur ab aeterno κατὰ φύσιν (ἢ φύσιν id est natura in hoc mysterio dici potest) vel potius κατ' ἀλήθειαν: in tempore vero genuisse dicitur κατὰ φανέρωσιν. Quam quidem φανέρωσιν luculenter a Spiritu Sancto fuisse demonstratam arbitror apud Prophetam Hebræo illo gignendi verbo, quod scemina potius, quæ in lucem edit, quam viro gignenti tribuitur. Non sum nescius hunc Prophetæ locum ab aliis aliter explicari, quia hi divinum solum illum aeternae generationis modum, ut perique Patres: alii temporariae generationis, alii utrumque his duobus membris, quibus Prophetæ utitur, narrari putant. Sed unicum solum si intelligas, non est satis ad justam fidei analogiam: sin autem utrumque, plus controversiae & obscuritatis habitura est interpretatio, & verba non sunt ταυτολογία quadam caritura. Quamobrem prius nomen (Filius meus es tu) convenienter scripturae de aeterna illa generatione malo accipere, fretus auctoritate Apostoli ad Hebr. 1. Posterius, (Ego hodie genui te) de illa temporaria, qua factus est ex muliere, factus sub lege in temporum plenitudine, quoniam Deus explevit promissionem Patribus olim factam, ut hoc in loco Paulus interpretatus est. Crisostomus in hunc locum exeruit Cl. Galtakerus Cinni lib. 1. c. 5. F. A. L.

scribens, *Pulchre pater dicit ad filium, ego hodie genui te, hoc est, quando redemisti populum, quando ad cæli regnum vocasti, quando implesti voluntatem meam, probasti, meum te esse filium.* Sic quoque Theodoretus illud hodie ad tempus φανερώσεως referebat, cum ad *Hebr. 1, 5.* dicebat, καὶ μὲν τοι καὶ τὸ, σήμερον γεγέννηκά σε, οὐ τὴν αἰώνιον δηλοῦ γέννησιν, ἀλλὰ τὴν τῷ χρόνῳ συνεξευγμένην, i. e. *quin etiam illud, hodie genui te, non eternam significat generationem, sed eam, quæ temporì conjuncta est.* Sic Chrysostomus hodie quoque de tempore præsentì explicabat, *Homil. 33 epist. ad Hebræos.* Sic Gregor. Nyssenus *homil. 2. in Ecclesiast. tom. 1. pag. 386.* illam locutionem, hodie genui te, dicebat significare μὴ τὴν προαιώνιον ὑπαρξιν, ἀλλὰ τὴν ἐν χρόνῳ ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἀνθρώπων, διὰ σαρκὸς γέννησιν παραστήσει ὁ λόγος, non eam quæ fuit ante secula subsistentiam; sed eam, quam in tempore ad hominum salutem per carnis generationem verbum ostenderit. Sic Methodius, Episcopus Tyri, qui martyrium passus est anno 20. Diocletiani, cujusque fragmenta extant apud Photium in Bibliotheca, in *orat. de castitate, in Photii biblioth. cod. 237. pag. 960.* hunc locum intelligebat, cum has voces ad Christum in Jordane tinctum referebat, τὸ χρησµωδουµενον ἀνωθεν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς τῷ Χριστῷ ἐν τῷ Ιορδάνῃ· Ἵδιος μου εἶ σύ· ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. Παρατηρητέον γὰρ, ὅτι τὸ μὲν, υἱὸν αὐτοῦ εἶναι αὐτὸν ἀορίστως ἀπεφάνητο, καὶ ἀχρόνως. Εἰ γὰρ υἱὸς, αὐτῷ ἔφη, καὶ οὐ γέγονας, ἐμφαινω, μήτε πρόσφατον αὐτὸν τετυχηκέναι τῆς

ὁ Θεσίας μήτ' οὐ προουπάρξαντα τέλει ἐσχέ-
 κέναι, ἀλλ' εἶναι αἰεὶ τὸν αὐτόν. τὸ δὲ, ἐγὼ
 σήμερον γεγέννηκά σε, ὅτι προόντα ἤδη πρὸ τῶν αἰώνων
 ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἐβουλήθη καὶ τῷ κόσμῳ γεννησάσαι, ὃ
 δὴ ἐστὶ πρόσθεν ἀγνοούμενον γνωρίσαι, i. e. *oracu-
 lum caelitus a Patre Christo in Jordane datum, Filius
 meus es tu, ego hodie genui te.* Observandum est,
 quod Filium suum esse ipsum, indefinite, citra tem-
 poris determinationem enunciat. Es enim, inquit ei,
 filius, non, eras, aut factus es: declarans, nequere-
 centem adeptam esse filiationem, nec finem habuisse,
 qui prius extiterat, sed eundem eum semper existere.
 Illud autem, ego hodie genui te, quod eum, qui ante
 secula in caelis prius extiterat, mundo voluerat gene-
 rare, hoc est, ignotum ante notum facere. Tan-
 dem addo Oecumenium, qui inter annum
 800. & 900. creditur vixisse, quique ad Hebr.
 1, 5. ita scribebat, τὸ μὲν, υἱὸς μου εἶ, καθὸ λόγος
 τὴν αἰδίου γὰρ διὰ τοῦ, εἶ, γέννησιν σημαίνει. τὸ δὲ,
 σήμερον γεγέννηκά σε, καθὸ σὰρξ, τὴν γὰρ πρόσφα-
 τον γέννησιν ἐμφαίνει, i. e. *illud quidem, Filius meus
 es, quatenus verbum: nam per verbum es,
 eternam generationem significat: hoc vero, ho-
 die genui te, quatenus caro: recens enim factam ge-
 nerationem indicat.* Plura testimonia non alle-
 gabo, ne Lectori fortean tædio sim: (c) pa-
 tet ex hisce allegatis Patrum ac Doctorum di-
 ctis,

(c) Potuisset enim & Origenem & Cyrillum aliosque in
 censum vocare, quorum verba jam excerpta sunt a
 Gatakero Cinni lib. I. cap. 5. Suicero Thes. Eccles.
 Tom. II. voce σήμερον Gurtzio dissert. de Jesu Chri-
 sto p. 224. sq. F. A. L.

ctis, non novum esse, interpretari hunc locum de tempore φανερώσεως Christi.

Et ut dicam, quid ipse sentiam, nego quoque, hæc verba, *hodie ego genui te* indicare æternam Dei Filii generationem, quia היום *hodie* non solum nunquam in sacra scriptura pro æternitate sumitur; sed etiam quia *hodie* æternæ illi generationi penitus repugnat, & manifestissimam involvit contradictionem *hodie genitum esse, & ab æterno esse genitum*: quia in conceptu de æternitate *hodie* minimè locum habere potest, & quia *hodie* semper definitum indicat tempus, quod de æternitate nunquam dici potest.

§. XIV.

Credo tamen Jesum Christum esse Filium Dei ab æterno a Patre genitum, fundamentumque Filiationis esse æternam ac incomprehensibilem generationem, factam, ut ecclesia antiqua dicebat, ἀχρόνως, *non in tempore*, ergo etiam non *hodie*, quia *hodie* semper tempus definit, porro ἀπαθώς *sine ulla passione*, vel *mutatione*, sive in Patre sive in Filio, & ἀχωριστως *sine ulla divisione essentia*, quia Filius, etiamsi genitus a Patre tamen Patri verè est ὁμοούσιος, *coessentialis*, qui, ut φῶς ἐκ φωτός & non ἐκ μη ἔντων, ut Ariani dicebant, quia nunquam dicendum est, Filium existere cepisse, aliquando non extitisse, ac ita productum esse, ut essentiam acceperit, quam non habuit, minimè, sed ex substantia Patris genitus, *substantialiter idem*

æternus & summus Deus est, ac Pater, ut in expositione Symboli Niceni loquitur Melancthon, oper. tom. 1. fol. m. 396. 397. Quare etiam Filius Dei dicitur ἐν δυνάμει, qui idcirco, quod Filius Dei est, ὄνομα διαφορώτερον, nomen excellentius supra omnes Angelos, & supra omnes alios, qui Filii Dei appellantur, revera habet; quoniam Deus nunquam ulli Angelorum dixit, Filius meus tu es, scil. meus proprius, ac unigenitus Filius, non γενητός, factus, ἀλλὰ μόνος ὁ υἱὸς γεννητός, ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἀνάρχως καὶ ἀχρόνωσ, sed solus Filius genitus, ex substantia Patris, sine initio & sine tempore, & idcirco etiam κατὰ φύσιν θεὸς naturā Deus, ut Damascenus ac Cyrillus loquuti sunt. Vide Damasceni lib. 1. orth. fidei cap. 9. & Cyrillum lib. 1. ad Joh. cap. 6. & ad cap. 10. vs. 33.

§. XV.

Nam dicere, quod nomen Filii tantum respectum habeat ad œconomiam, seu constitutionem Mediatoris(1) tollit vim denominationis Filii, quoniam omnis denominatio filii aut ipsissimam γέννησιν generationem, aut σχέσιν γεννήσεως generationis, in se comprehendit: jam destinatio ad aliquod munus ne minimam quidem denominationem Filii indicat. (2) Manifestissimè contrariatur loco Pauli ad Hebræos cap. 5. vs. 8. ubi ita dicitur, καίπερ ὢν υἱὸς, ἐμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε τὴν ὑπακοήν, id est, *quamvis, vel licet esset filius, tamen ex iis, quæ passus est, didicit obedientiam.* Notabilis certè locus, & dignus ut

ut penitus introspeciat. Vulgata versio habet, *Et quidem cum esset Filius &c.* Sed ineptè prorsus, dicit Beza, quoniam *καίπερ* notat *quamvis, licet, etsi, quanquam*, uti Syriaca & Arabica versiones quoque rectè habent, quæ ultima adhuc addit *indefinenter, quamvis indefinenter sit Filius*, Belgæ nostri rectè quoque dicunt, *hoe wel hy de zoon was, injungentes porro per parenthesin (nogtans) gehoorzaamheidt geleerd heeft uit het geene hy geleeden heeft.* Uti & Beza habet, *quamvis esset Filius tamen &c.* Sic quoque Lutherus, *und wiewol er Gottes Sohn war, hat er doch an dem, das er litte, gehorsam gelernet.* Sic enim post *καίπερ*, *quamvis, licet*, Græcis sequitur vox adversativa *ὅμως*, tamen, quæ aliquando exprimitur, aliquando per ellipsin subauditur. Sic exprimitur apud Demosthenem *orat. 2. in philip. pag. m. 28. Edit. Basil. 1572. ἕκασον ὑμῶν, καίπερ ἀκριβῶς εἰδότες, ὅμως ὑπομνήσαι βούλομαι*, i. e. *unumquemque vestrum, licet probe gnarum, tamen commonefactum volo.* Similis ferè locus extat apud Petrum *2. Petr. 1, 12. διὸ οὐκ ἀμελήσω ὑμᾶς ἀεὶ ὑπομνήσκειν πρὸς τοῦτων, καίπερ εἰδότες &c.* ubi *ὅμως* quoque subaudiri potest, ac si Petrus dicebat, *quapropter tamen non negligam vos de istis semper commonefacere, quamvis peritos.* Sed ecce locum ex Demosthene, ubi *ὅμως* post *καίπερ* subauditur, nempe *in orat. de corona pag. m. 331. δεῖ με, καίπερ οὐ φιλολοίδορον ὄντα φύσει, ἀντὰ τὰ ἀναγκασιότατα εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ*, i. e. *oportet me, quamvis a*

maledictis vel conviciis naturâ abhorream, tamen maximè necessari de eo dicere. Uti & ὁμως sic etiam subintelligitur post εἰ καὶ, apud Ælianum *Var. hist. lib. 2. cap. 37.* Et sic hoc loco post καὶ περ quoque subaudiri debet ὁμως, & plenius legi, καὶ περ ὡν υἱός, ὁμως ἔμαθεν ἀφ' ὧν, (αἰ) ἔπαυσε τὴν ὑπακοήν, *quamvis filius esset, vel licet Filius existens, tamen ex iis quæ passus est, didicit obedientiam.* Ubi Coccejus quoque rectè ait, *quamquam Filius esset, (tamen) semetipsum exinanivit & humiliavit factus sub legem.* Non ergo Paulus dicit, quod Christus passus sit, *quia Filius erat;* quomodo loqui debuisset, si Filius significaret Θεὸν ἁνθρωπίνον Mediatorem constitutum, vel firmus mediatorum fundamentum denominationis *Filii* esset; sed jam dicit Apostolus, *licet Filius esset*, id est, licet ab æterno, per generationem æternam, Filius Dei proprius & unigenitus, imo Deo Patri suo reverâ coessentialis esset, tamen in assumptâ naturâ humanâ libenter pro nobis passus est. Clarissimè ergo hic indicat Paulus, Jesum Christum fuisse Filium Dei, antequam obedientiam ex iis, quæ passus est, didicit.

§. XVI.

Concludo igitur etiam ex hoc vs. 7. psalmi secundi Jesum Christum esse Filium Dei proprium, ab æterno a Patre suo genitum, non tamen ex iis verbis, *אני היום ילדתיך* ego hodie genui te; sed ex hisce, *בני אהר* filius meus

tu es, quia æterna illa generatio unicum fundamentum denominationis Filii est.

§. XVII.

Sed quando Pater dicit, **היום ילדתך** ego hodie genui te, puto **היום** hodie debere referri ad tempus *φανερώσεως*, quando Pater hunc suum Filium excitavit, in mundum misit, ex mortuis resuscitavit, ac in cœlum ascendere fecit, declarans, ac demonstrans manifestissimis signis coram omnibus, Jesum Christum esse suum proprium ac unigenitum Filium, quem ab æterno quidem genuit; verum quem jam in plenitudine temporis in mundum produxit. Ita enim interpreto illud verbum **יל** hoc loco, non speciali significatione genuit, vel generavit; sed generali significato produxit, in lucem edidit, vel palam fecit, imo etiam publicè manifestavit, ac declaravit. (d) Illud enim Pater fecit non ab æterno, sed in tempore, non quoque sub promissione aut sub Veteri Testamento, cum Christus adhuc erat **אל מסתתר** Deus, sese abscondens *Jes. 45, 15.* vel ut Lutherus habet, *ein verborgner Godt*; sed sub Novo Testamento, quando Deus Pater hunc suum filium excitavit: ita enim puto intelli-

Uu 5 gi

(d) Iphis Judæorum Magistris hæc notio probatur. Sic *Glossa Talmudica Tractat. Succa cap. 5.* **היום ילדתך** היום אנלה לבריות שאתה בני *Ego hodie genui te.*] Sensus est, ego hodie ostendam hominibus, te esse Filium meum. Citatus hic locus a *Jes. de Voisix* ad *Raymundum* p. m. 529. F. A. L.

gi debent verba Act. 13, 32. 33. ubi Paulus ait;
*Et nos vobis evangelisamus eam promissionem, que
 patribus facta est, Deum videlicet eam explevisse
 filiis illorum, nobis ἀναστήσας Ἰησοῦν, excitato Jesu.*
 Ubi per illud ἀναστήσας non intelligo resurrectio-
 nem a mortuis, sed excitationem, aut susci-
 tationem, producendo Filium suum per incar-
 nationem in mundum, ut promissiones patri-
 bus factæ implerentur, uti Theodorus Beza
 hunc locum quoque explicabat, dicens ἀνα-
 στήσας Ἰησοῦν, in mundum misisse. Latius enim patet
 hoc in loco verbum ἀνίστασθαι quam ἐγείρειν: quum hic
 agatur non de resurrectione, sed de exhibitione ejus, qui
 fuerat Patribus promissus. De verbo enim ἀνι-
 στάναι certum est, illud non raro sumi pro ex-
 hibere, producere, excitare, &c. sic occurrit Act.
 2, 30. ubi Petrus dicit de Christo, προφήτης
 οὖν ἐπιάρχων, καὶ εἰδὼς ὅτι ὄρκια ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεός,
 ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ τὸ κατὰ σάρκα ἀναστή-
 σαι τὸν χειρὸν, καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ i. e.
*Propheta igitur quum esset, & sciret Deum jureju-
 rando sibi jurasse, ut ex fructu lumbi ipsius, quod ad
 carnem attinet, Christum excitaret, quem collocaret
 super ejus throno. Quoniam in quibusdam ma-
 nuscriptis hæc verba, τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν
 τὸν χειρὸν defunt, uti & in vulgata, Syriaca &
 Æthiopica, versionibus, non dubitat Joh. Mil-
 lius, quod irreperint ex margine, in quo adscri-
 pta erant à quopiam, in textum ipsum, maxime
 quia in Psalmo 132, 11. quo hic respicitur, nul-
 la mentio fit Christi resurrectionis, sed tan-
 tum*

tum ex lumbis Davidis nascitur. Verum non puto, hæc verba a Petro non esse profecta, licet enim multi codices ea omittant, sunt tamen satis antiqui codices, in quibus inveniuntur, uti & in arabica versione, & in hebræa Hutteri, כנשר לקים תא-תשח, quare non dubito, quin Petrus, in allegando loco Ps. 132, 11. addiderit hæc verba majoris dilucidationis & explicationis gratia, uti sæpe faciunt scriptores sacri Novi Test. cum locum ex Veteri Test. allegent. Non ergo explicanda sunt illa verba de resurrectione Christi ex mortuis, ut Millius perperam putavit; sed de incarnatione Christi & missione in mundum, adeo ut ἀναστήσειν significet hic *exhibiturum, producturum & facturum*, ut nasceretur Christus ac manifestaretur mundo. Ita enim occurrit 2. Sam. 7, 12. ubi Deus Davidi promittit, καὶ ἀναστήσω τὸ σπέρμα σου μετὰ σέ, ὃς ἔσαι ἐκ τῆς κοιλίας σου, καὶ ἐποιμάσω τὴν βασιλείαν αὐτοῦ, & suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Sic Jerem. 23, 5. καὶ ἀναστήσω τῷ Δαβὶδ ἀνατολήν δικαίαν, vel ut Symmachus habet, βλάστημα δίκαιον. Vide quoque Ezech. 34, 23. uti & ipsum verbum ἐγείρειν eodem sensu lato sic occurrit tam apud LXX. Zach. 11, 16. quam in Novo Test. Act. 13, 23. Quod doctiss. Beza non vidit, cum dicebat ἀνιστάναι latius patere quam ἐγείρειν. Cum igitur Deus Pater Jesum Christum suum Filium excitabat, & in mundum producebat, implebat, quod hic

hic psalmo secundo vs. septimo dictum erat, uti sic Paulus statim *Act.* 13, 33. quoque dicit, quando hunc nostrum locum idcirco allegat. Hinc Cel. Andala in *Theol. supern. part.* 14. §. 47. quoque dicebat, *resurrectio ex mortuis non intelligitur Act. 13, 32. nam de ea deinceps vs. 34. demum expressa fit mentio. Sed hic intelligitur Christi ut propheta missio in mundum: Propheta enim dicuntur a Deo suscitari, & ipsi dicuntur surgere.* §. XVIII.

Et quia ἔλεγε notat non tantum *producere*; sed & *palam facere, manifestare*, sic addi potest, Deum Patrem Filium suum porro produxisse, manifestasse, ac palam fecisse, cum ipsum ex mortuis iterum excitabat, & in cœlum ascendere faciebat. Tunc publicè coram omnibus declarabat, ac variis mirabilibus ac manifestissimis signis demonstrabat Jesum esse verum Messiam, seu unctum illum Domini, de quo in psalmo secundo prædictum erat, & de quo Pater dixerat, *tu filius meus es*, uti sic Paulus argumentatur *Rom.* 1, 4. *declarato filio Dei ἐν δυνάμει, potenter, secundum spiritum sanctiificationis per resurrectionem a mortuis, nempe Jesu Christo Domino nostro.* Non ergo per istam resurrectionem aut declarationem Christus factus est Filius Dei; sed miraculosa natiuitas, resurrectio, ut & alia miracula erant istius Filiationis *ἡνωσιουατα*, publicæ notæ & characteres, quibus indicabatur, manifestabatur ac omnibus jam innotescebat ea æterna

ac vera filiatio, a quibus characteribus fundamentum filiationis, nempe æterna generatio, bene distiguenda est, ut Cel. Andala recte quoque monet, ac dicit, *denique ea suscitatio Christi & missio ad id munus non est fundamentum; sed tantum argumentum, quo Pater demonstravit, ipsum esse Filium Dei, ab æterno genitum; sed in hoc hodie ipso facto demonstratum, & ita genitum. Theol. supernat. part. 14. §. 48.*

Et sic Paulus hunc locum rectè allegat *Heb. 1, 5.* ubi extollit Christi Majestatem supra omnes Angelos, quia nemini Angelorum tali emphasi dixerat, *tu Filius meus es*, de nemine Angelorum idcirco talia quoque extabant signa ac miracula, neminem Angelorum Deus unquam tali modo declaraverat suum filium, ergo de nemine Angelorum quoque dici poterat, *ego hodie genui te*, vel declaravi te eo modo pro filio meo.

§. XIX.

Tandem allegat Paulus hunc locum *Hebr. 5, 5.* ubi ostendit, quomodo Christus jure merito Pontifex noster sit, quia Deus Pater ipsum vocaverat ad hoc munus sacerdotale, uti Aaron a Deo vocatus erat. Nemo enim legitime fungitur hoc officio, nisi a Deo vocatus: ergo Christus legitimus est noster Pontifex, quia ad hoc munus vocatus est a Deo, & quidem a Deo Patre suo, qui ipsum ab æterno genuerat, & ei dixerat, *Filius meus tu es*, & quem jam in mundum produxerat, ac indubita-

tis

tis signis palam fecerat, ut sic justificaret vocationem suam ad hoc munus sacerdotale. Certiorem enim demonstrationem legitimæ vocationis Christi habere non possumus, quam manifestam declarationem Patris ipsius. Et hæc est ratio, quare Paulus, ad demonstrandam legitimam Christi vocationem ad munus sacerdotale hic addit hoc dictum Patris ad Filium, *Filius meus tu es*, ut ipsissimo Christi Patris testimonio demonstraret ipsum verum nostrum esse vocatum pontificem, qui sibi ipsi hunc honorem, ut fieret Pontifex, non tribuit; sed Pater, qui dixerat ei, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quo testimonio divino ergo claret, Deum Patrem hunc suum Filium ita declarasse.

Impiè hinc ergo concludit Jonas Schlichtingius *in comment. ad hebr. pag. m. 215*. Christum non esse summum Deum, quoniam, si Deus summus esset, legitimus sacerdos esse non potuerat; cum Deus hic è contrario testatur, hunc suum Filium esse legitimum sacerdotem, quia erat Filius Dei, de quo Pater jam testatus erat, quemque jam publice demonstraverat esse æternum ac unigenitum illum Dei Filium, quem ad sacerdotium hoc vocaverat: quo sacerdotio non demùm in cœlo fungeretur, ut Schlichtingius hic quoque perperam dicit, ac sacerdotale Christi munus ab ipsius regio munere non distinguit: nam functus est Christus suo munere sacerdotali, maxima ex parte cum sese

sefe ut sacrificium expiatorium, vel piaculare pro nobis obtulerit in cruce, ubi solvit λύτρον ἀντὶ πολλῶν, ac justitiæ divinæ satisfecit, cuius satisfactionis ac legitimæ functionis Deus Pater publice testimonium dat, cum ipsum *Filium suum* coram omnibus declarat.

§. XX.

Hæc sunt, quæ ad hunc septimum vs. hujus psalmi lubuit annotare. Unde novum argumentum peti posset, ad irritos faciendos omnes hostium injustos conatus: si enim *Unctus* ille sit *Filius Dei*, quem pater ab æterno genuit, quemque in tempore produxit, ac palam fecit, & crebris miraculis publicè suum *Filium* esse demonstravit: impossibile ergo est, hunc *Filium Dei* unigenitum aut ejus regnum posse deleri ab impiis tyrannis, quantumvis illi sæviant.

V.
FRID. AD. LAMPE,
 de
CORNU SALUTIS
FULGIDO
 ad illustranda loca, quæ
 Mesfiæ cornu adscribunt,
MEDITATIO.

SUMMARIUM.

§. 1. קרן de Mesfia usurpatum non tantum *cornu*, sed etiam *splendor* verti potest. §. 2. Alludi ad *columnam nubis* & *ignis* probatur ex Hab. III. 4. §. 3. Conferuntur *cornua* קרנ, seu *Orygis*, qui est *unicornu*, animal Ægyptiis notum, ferum & procerum. §. 4. *Columna nubis* cum *cornu orygis* collata. *Pyramidalis* fuit. Conferuntur *Pyramides* & *Obelisci* Ægyptiorum. Etymon *Pyramidis* Num. XXIII. 25. 26. XXIV. 8. 17. §. 5. *Oryx* emblemata populi *Israelitici*. §. 6. *Duo cornua orygis* emblemata *Manassis* & *Ephraim*, *orientalis* quoque ac *occidentalis* *Ecclesiæ*. Deut. XXXIII. 16. 17. Apoc. XIII. II. illustrata. §. 7. Loco Pf. XXII. 22. nova exegesi lux data. §. 8. Quid sit *exaltatio cornuum*? §. 9. In obscurum locum 1. Chron. XXV. §. inquiritur. §. 10. κέρας σωτηρίας Luc. I. 69. §. 11. Conferuntur Pf. CXXXII. 17. 18. uti & I. Sam. II. 10. Pf. XVIII. 3. §. 12. Notio *splendoris* communem *cornu* notionem non excludit.

§. I.

Servatori mundi **CORNU** in sacris aliquoties appingitur. 1. Sam. II. 10. Psalm. LXXXIX. 25. CXXXII. 17. Luc.

Luc. I. 69. Neque tamen satis attenderunt interpretes duplicem interpretationem קרן Hebræorum pati. Frequentissime quidem designat ornamentum illud, quod capiti quadrupedum certorum natura donavit, unde ad quamcunque eminentiam, quæ similitudinem cornuum animalis habet, transfertur. Possè tamen & splendorem quendam promicantem notare patet ex Exod. XXXIV. 29. 30. 35. ubi קרן splendere designat, quod eo certius, quia præter ἰσὺς ὁ & Chaldæum Paraphrasten testem omni exceptione majorem Paullum habemus, qui 2. Cor. III. 7. pro קרן substituit δόξαν τῆ προσώπου αὐτοῦ, illamque ut typum δόξασ τῆ Κυρίῃ considerat v. 18. Eodem post præstantissimos Viros lubens refero nomen quod tertiæ e filiabus Jobi renatis Job. XLII. 14. tribuitur קרן הפוך & a Chaldæo per splendorem gemma cuiusdam redditur. Hinc a קרן est Græcorum κεραυνός, fulmen. Quando vero קרן Christo tribuitur, Interpretes recentiores ferme omnes in priori notione subsistunt, si ab uno Stephano le Moyne, Viro singularis eruditionis & acuminis, discedas, qui differt. ad Jerem. 23. p. 39. de loco Psalmi CXXXII. 17, hæc habet: „קרן ibi sumitur pro luce, sicut „cum de Mose dicitur, quod illius facies erat cornuta, hoc est intelligendum de splendore & „radiis, quibus Mosis vultus coruscabat. Sed „Deus alium Mosen se suscitaturum pollicetur, aliam gloriam, aliud קרן, unde in eodem

Class. II. Fasc. IV. Xx ver-

„ versu ἰεζηϰηϰαϰω̅ς & לחוספת ביאור additur
 „ וערכתי נר למשיחי & paravi lumen Uncto meo
 „ & illum constitui lumen mundi & Solem, ortu
 „ suo, idololatriæ noctem, legis nubes, Pro-
 „ phetiarum tenebras & caliginem, umbras
 „ ceremoniarum fugantem & dispellentem. “

§. II.

Profundius hac de re meditati hæc cogi-
 tatio non tantum non spernenda, sed etiam
 ad reliqua loca, sub symbolo *cornu Messiam*,
 & strictissime *regnum* ejus exhibentia, exten-
 di posse videbatur: præsertim ubi originem
 hujus emblematis, de qua *Moynius* non cogi-
 tavit, ex *columna nubis* & *ignis* derivandam esse
 perspexi collato Habac. III. 4. *Splendor ut lux*
fuit, cornua e manu ejus erant ei, & illic latibulum
fortitudinis ejus. Eleganter post alios commen-
 tatores hunc locum illustrat *Cramerus Theol.*
Israel. Parte II. differt. l. c. 5. §. 14. ubi inter a-
 lia: *Rectius nos de fulgore Columnæ id capiamus, qui*
tam lucidus vehemens & potens fuit, ut ex manu
ejus ex eo undiquaque cornua i. e. radii copiosi, po-
tentes, penetrantes promanarent, & Israelitarum
oculis se ingererent &c. Secutus in eo est *Aben-*
ezram, qui ad columnam nubis phrasin pro-
 pheticam refert. De luce quoque intelligit
Jarchius: וקרנם לשון מאור כשהוא נוקב וזורה
דרך חנקב נראה כמין קרנים בולטין וכן כי קרן
עור. i. Vox קרנים hic significat lucem, quan-
do illa pertransit & radios per foramen spargit,
speciem præbet cornuum prominentium, sic quoque

in illo loco : Nam קרן emisit cutis faciei ejus. Fallitur tamen in eo, quod ad lucem faciei Mosis applicet. Melius ergo Abarbanel ad h. I. והוא אומרו כאור תהיה רוצה לומר אותו נונה וכבוד שראו בהר סיני כענין האור השמשי היה לפי שקרנים מידו לו רל הקרון הזוהר והאור המופלג i. Et quando ait : tanquam luxerat, vult dicere splendorem illum Ⲙ GLORIAM, quam videbant in monte Sinai, se habuisse tanquam lucem Solis, siquidem cornua ex se emittebat h. e. RADIANTEM SPLENDOREM: Ⲙ lux illa admirabilis absconditabat robur suum, ut illud lateret homines. In quibus verbis non tantum קרן per radiantem splendorem interpretatur, sed etiam dum eum Deo apparenti in Sinai tribuit, non alium quam columnæ in montem Sinai descendentis, quamvis ab eo distinguere velit, intelligere necessum habet. Hinc procul dubio fluxit, quod pro divinitatis symbolo cornua apud veteres sint habita, & nimborum seu radiorum locum obtinuerint. De qua re consuli possunt Paschalius de Coronis lib. X. Job. Nicolai de nimbis vett. & præcipue ὁ πᾶνσ Spanhemius de præst. numism. diss. V.

§. III.

Ad eandem columnam respici conjicio, quando populo Dei cornu MONOCEROTIS attribuitur. Suppono hic, quod Cel. Bochartus probatum dedit Hieroz. P. I. L. I. c. 27. per ראם, quod magno consensu interpretes antiqui & novi per monocerota reddunt, designari

Orygem, animal ex *caprarum*, seu mavis secundum *Columellam*, ex *cervorum* genere, in fronte habens cornu cubitale vel sesquicubitale, cui ingens robur a scrutatoribus historiae naturalis tribuitur. Consentit *Schefferus* de re vehicul. lib. I. c. 9. p. 105. *Clericus* in Num. XXIII. 22. *Tillius* Zool. Sacr. p. II. c. 10. Quamvis enim *Cl. Ludolphus* Comment. Hist. Aethiop. lib. I. c. 10. n. 84. hoc potissimum nomine dubitare coeperit, cum ipse *Bochartus* agnoscat per OR animal procerum, velox, validum & indomitum in S. Scriptura designari, an de *Oryge*, utpote animali parvo & debili omnia ista vere praedicari possint, hoc tamen solo nomine a *Bocharto* non discesserim. Describunt enim veteres *Orygem* nobis ut animal ferox & indomitum. *Oppianus* Cyneget. lib. II. v. 445.

Εστὶ δὲ τις θηριοῖσι παρέσιος, ὄξυκερὸς θήρ,
 Ἀγριόθυμος ὄρυξ κενερός θήρεσσι μάλισσα.

I. e. porro quaedam saltibus familiaris, acuto cornu fera, saevus *oryx*, feris maxime horrendus, & quae sequuntur a *Bocharto* aliisque exscripta. *Ulyssi* ergo *Aldrovando* de *Quadrup.* *Bisulc.* lib. I. c. 24. non invitus accesserim, qui tria distinguit *orygum* genera, aquatile unum, duo terrestria: quod posterius ex collatis *Plinio* atque *Oppiano* probat. Illum enim *orygem* ad *caprarum* genus referre, quae natura sua sunt timidae, hunc vero saevitatem & audaciam ei tribuere, ut ferocissimis belluis se opponat pugnando. Simile discrimen observat *Casaubonus* ad *Lampridium* p. m. 99, *hinnulorum* quamdam

dam speciem *oryges* appellatum docens. Cum ergo laudatus *Bochartus* l. c. c. XXVIII. veteres Interpretes sequendos esse censeat, qui aliud animal, ארית vel אריתא dictum, per *oryga* vertunt, sedet mihi opinio, Hebræos posteriorem *oryges* speciem ארית, priorem vero אריתא dixisse. Id sane ad firmandam *Bocharti* sententiam non parum habet momenti, quod ex illa patescat ratio, cur scriptura aliquando *cornu unum*, ut Ps. XCII. II. aliquando *duplex*, ut Deut. XXXIII. 17. Ps. XXII. 22. *monoceroti* suo tribuat. *Oryges* enim aliquando *unicornes*, aliquando *bicornes* inveniri constat, & de unicornibus *Plinius* & *Aristoteles* attestantur. Nec desunt recentiores idem confirmantes, quamvis *Clericus* l. c. id rejiciat, qui gratis ad *Bocharti* provocat suffragium. Quamvis enim hic fabulas antiquorū de unicornu rejiciat, exerte tamen inter *oryges* etiam *unicornes* dari fatetur. Accedit, quod animal hoc Africae proprium & apud Ægyptios, inter quos Israelitis innotescere potuit, frequens fuerit, uti probatum est ex antiquis authoribus a *Salmasio* Exerc. Plin. ad *Solinum* T. I. p. m. 335. 336. Quantum vero hoc Ægyptiorum *orygum* genus a communi caprarum sorte robore & proceritate diversum fuerit, vel ex eo constat, quod apud *Athenæum* Deipnos. V. in pompa Ptolomæi quoque bigas *orygum* legimus: Μετὰ τῆς αἰῆς οὐκ εἶδες ὀρύγων ἐπὶ αἰ. Adde si lubet, *Argolum* ad *Pauvini* de lud. Circ. II. 7. sq. Sic & ad *Juvenalem* Sat. XI. 140:

Et Gatulus oryx hebeti lautissima ferro
Ceditur; - -

Scholastes vetus: Oryx animal minus quam bubalus, quem Mauri Uncem vocant. Dilerte Herodotus, author præ multis aliis fide dignissimus, qui lib. IV. c. 192. Libyæ feras enumerans ait: Καὶ ὄρυες (legendum esse ὄρυγες Authores consentiunt) τῶν κατὰ κέρα τοῖσι Φοίνιξι, οἱ πήχους ποιεῦνται. μέγας δὲ τὸ θηρίον τῶτο κατὰ βῆν ἐστὶ.
i. Et oryges, secundum quorum cornua Phœnicibus cubiti (mensuræ an armorum genus?) fiunt. Magnitudine vero hæc fera ad bovem accedit. Ab hac proceritate, qua, quamvis alias ad caprarum aut cervorum genus spectare videbatur, super hæc tamen animalium genera eminebat, οὐκ ἔστιν potuit nomen nancisci: nisi malis a cornu in sublime eminenti derivare. Unde corrigendi Salmastius l. c. 462. alique, qui generatim parvum animal esse oryga caprae vel capreae non dissimile pronuntiant.

§. IV.

Sed quid hoc ad nubem nostram? Dicam. Ante omnia id facile mihi quis dederit, non spernendam inter columnam & cornu orygis intercedere analogiam. Si enim figuram spectes, cornua orygitum non curvata sed columna instar in altum sunt prominentia: Si usum, potissimum in iis robur situm. Oppianus l. c.

Οξείαι κεράων δὲ μετήρον ἀντέλλασιν
Διχμαί, πευκεδασαί, μελανόχρουν εἶδος ἔχουσαι.

Και

Καὶ χαλκῆ θηλοῖο, σιδήρεα τε κρυεροῖο,
Πέτρα τ' ἄκρυόεντα ἀρειότερα πεφύασιν.

*Acute autem cornuum in sublime surgunt cuspides,
perniciosa, nigram speciem habentes, & are & fer-
ro & petra contusis fortiores sunt. Addo testimo-
nium Geographi MS. ex Bibliotheca Medicea a
Bartholino de Unic. c. 24. citatum: Φασὶ ἡ περι-
αυλῆ, ὅτι φοβερόν ἐστι καὶ ἀκαταμάχητον, ἐν τῷ κέρα-
τι ἔχον τὴν ἄλην ἰσχὺν καὶ ἠνικα δόξει παρὰ πολλῶν
διώκεσθαι, καὶ καταληφθῆ, εἰς κρημνὸν ἐφάλλεται, καὶ
ῥυηται ἑαυτὸν ἐκ τῆ ὑψεος, καὶ κατέρχόμενον ἀνπι-
σρέφεται, καὶ τὸ κέρασ δέχεται, τὴν ὄλην ὀρμὴν, καὶ
ἀβλαβῆ διαμένει. i. Ferunt vero de illo, quod ter-
ribile sit & insuperabile in cornu ipso omne robur ha-
bens: & quia se a multis infestatum novit, viri-
busque deficere, in scopulum præruptum saltans se
ipsum præcipitem ex alto dat, & insequenti in fa-
ciem vertitur, totumque cornu impetum excipit, ille-
sum tamen permanens. Abenezra ad Ps. XXII.
Unicornium) quia cornua eorum fortia sunt, audi-
vi enim a Viris ἀξιόπιστοις, solere hoc animal se de-
mittere & præcipitare de excelsis montibus in hoc
cornu, ut tamen non frangatur. Hinc Simos Æ-
thiopes orygam cornibus pro telis uti, Agatharchi-
des aliique testantur. Externo igitur adspe-
ctu, & quod magis est, usu nubes nostra cum
cornu orygis non absurde confertur. Adspe-
ctu, quia forma nubis videtur pyramidalis fuis-
se, quæ est igni, qui ex ea prolucebat, propria.
Convenit sane cum ea flammantis gladii figu-
ra Gen. III. 24. ubi prima putamus symboli*

hujus divini inveniri vestigia. Inferius quoque latiore fuisse columnæ figuram inde colligimus, quod umbraculi vicem præstitit Jes. IV. 5. 6. Quoad inferiorem ergo sui partem magis ad spectum nubis, quoad superiorem vero ignis habuisse videtur. Hinc columnæ pyramidales prognatæ sunt Apollini αἴγυψ, sive θυραίω, sive προσάηγιω sacrae: vel, ut alii volunt, Baccho, vel, ut plurimi, utriusque. Simili forma Apollinem a Megarensibus, ejusque imitatore Elagabalum exhibitum auctores nummique testantur. Cui fictioni nostram columnam præbuisse ansam Cl. Huetius existimat Dem. Evangel. Propos. IV. Et quis non suspicetur ipsas illas immanes Pyramidum apud Ægyptios moles ad symboli hujus divini jam a Paradiso consueti similitudinem esse confictas? Ammianus eas dictas putat ab ignis πυρός specie, quem alii gregatim sequuntur. Sed magis ad rei veritatem videtur accessisse Herodotus II. 143 docens Viros illustres apud Ægyptios dici πειρώμεις & addens explicandi causa: πειρώμεις δὲ ἐστὶ κατ' Ἑλλάδα γλώσσαν καλὸς καὶ γαδός i. Pironis autem est lingua Græca Fortis & Bonus. Sententiam hanc merito præferendam ducit Perizonius Ægypt. Orig. cap. 21 p. 393. Et videtur ea composita esse ex consueto Ægyptiorum articulo πει & verbo ארם altum esse. Celsis enim his moribus celsitudinem animi & factorum Virorum illustrium ab Ægyptiis expressam esse, quo:

quorum monumenta ornabant, facile est divinatu. Quid vero, si utraque etyma conjungerentur, & Pyramis vox esset composita ex π , אור Ignis & σ excelsus, cum eadem structuræ soli essent sacræ? Judicent eruditi. Sic sane eo clarior esset Pyramidis nostræ sacræ atque igneæ convenientia. Quis non eodem referat, etiam potiori jure, obeliscos Solis numini sacros & ad radiorum similitudinem effictos? *Plinius lib. XXXVI. c. 8. Ex Syenite lapide, circa Syenem Thebaidis, trabes fecere Reges quodam certamine, obeliscos vocantes, Solis numini sacros. Radiorum ejus argumentum in effigie est: & ita significatur nomine Ægyptio. Primus omnium id instituit Mitres, qui in Solis urbe regnabat, somnio jussus: & hoc ipsum inscriptum est in eo. Etenim sculpturæ illæ effigiesque, quas videmus, Ægyptiæ sunt literæ. Evidenter hic licet deprehendere κακοζήλιαν dæmonis, qui symbolum nubis, columnæ instar acuminatæ in cœlum protensæ, imitari proceris illis statuis tentavit. Præcipue cum ex *Ammiano Marcellino lib. XVII. discamus, quod obeliscus Ramesis, qui undecentenorū pedum longitudinem æquavit Deo Soli speciali munere dedicatus, fixusque intra ambitiosi templi delubra, tanquam apex omnium eminebat. Quod quam accurate figuram columnæ nostræ supra sanctuarium elevatæ expresserit, facile perspicitur. Usu vero eandem cum cornu orygis conferri posse nemo negabit, qui meminerit ex ea Dominum pro Israelitis**

pugnasse Exod. XIV. 24. Adde jam, primum, qui *monocerotis* symbolum adhibet, esse Bileamum, qui Num. XXIII. 25. 26. castrametationes Israelitarum & exsurgentem inter eos caelum versus *columnam* e longinquo adspiciens ait: *Jehova Deus ejus cum eo est, & clangor regius est in eo. Deus fortis eductor eorum ex Aegypto, est ei ut vires (כחועפות) monocerotis.* Iterumque c. XXIV. 8. *Deus fortis, eductor ejus ex Aegypto, ut vires monocerotis erit ei.* Vocem חועפות alii convenientius cum radice malunt per *altitudines* reddere Septuaginta vero δόξαν vertunt: Ως δόξα μονοκέρωτος αὐτῶ; quod nomen *columnae nubis* privum est. Splendidum sane quid hac voce designari credunt, quando Job XXII. 25. חועפות כסף interpretantur ἀργύριον πεπρωμένον. Perinde est an *altitudines*, seu mavis *gloriam monocerotis* ad ipsum Dominum, cum Junio & aliis, an ad Israellem referas vertendo: *tanquam altitudines monocerotis ei (Israelli) sunt.* Prior sensus aliquanto disertius pro nobis militare videtur, quia *cornutus columnae splendor praesentiae divinae* inter Israellem augustissimum indicium erat. Eodem tamen posterior recidit. Si enim *monocerotis fastigium Israelii* tribuitur, tanquam *confectarium* ex praememoratis beneficiis id a Bileamo consideratur: quae erant *praesentia divina* Messiae in *columna nostra*, & Israelis sub ejusdem tegmine & defensione ex Aegypto eductio. Et hunc sensum praetulerim, vel eo nomine, quia

76 12, in quo comma præcedens desinit & 76 13, quod comma 26 claudit, correlata esse videntur. Considerat ergo Bileamus Israelem sub emblemate *monocerotis* seu *orygis*, qui omne suum decus & præsidium in columna ejusque habitatore tanquam *cornu salutis suæ* repositum habebat. Sanctum fane horrorem Bileamo tam tremendum divinæ præsentia symbolum, quod aciem intuentium perstringebat, incussisse cogitatu facile est. Quin etiam verum ejus antitypum a Bileamo esse perspectum ex illustri ejus de Messia prophetia infero c. XXIV. 17. *Video illum & non nunc; contemplor illum & non propinquum incedit: stella ex Jacob & surgit virga ex Israele.* Singularem fane lucem hæc prophetia fortitur, si cum columna nostra conferatur. Hæc vera ratio conjunctionis duorum emblematum *stella & virga* videtur, quod illa pyramidali nubis forma *virga*, igne vero inde prolucente *stella* similitudinem habuerit. *Surgere* vero & *incedere* & *e longinquo videri* eidem columnæ se elevanti & ante Israelem instar *ἐδρυῖ* procedenti proprium erat.

V.

Nequeo autem pedem promovere, antequam ἐν παρόδῳ observaverim, elegantissimum esse emblemata *orygis* de Israele usurpatum, non tantum ob eximium robur, & quia palantes in deserto erant, sed etiam ob odium Ægyptiorum. Illis enim *oryx* abominationi & symbolum *impuritatis* erat, quamvis ab Israelitis in-

inter animalia pura censerit potuerit. Ita sane
Horus Apollo Hieroglyphic. lib. I. c. 49. Ακαθαρ-
 σίαν δὲ γράφοντες ὄρυγα ζωγραφῶσιν. Ἐπειδὴ ἐπὶ
 ἀνατολὴν ἐρχομένης τῆς σελήνης, ἀτενίζων εἰς τὴν
 Θεὸν, κραυγὴν ποιεῖται. ἐκ εὐλογῶν αὐτὴν, ἔδε εὐ-
 Φημῶν: σημεῖον δὲ τῆτος ἐναργέστατον. τοῖς γὰρ ἐμ-
 προσίοις αὐτῆς σκέλεσιν ἀνορύσσων τὴν γῆν, ζωγρα-
 φεῖ ἑαυτῆ τοῖς κόρως: ὡς περὶ ἀγανακτῶν καὶ μὴ
 βεβλόμενος ἰδεῖν τὴν τῆ Θεῶ ἀνατολὴν, τὰ δ' αὐτὰ
 ποιεῖ καὶ ἐπὶ τῆ ἡλίου Θεῶ ἄστρα ἀνατολῆς. Διόπερ
 οἱ ἀρχαῖοι βασιλεῖς ἐπικαθίσαντες τῆτω τῷ ζῶω
 (*Salmasius reponendum conjicit τῆτω τὸ ζῶον I.*
c. p. 462.) διὰ μέσσω αὐτῆ ὡς πινῶν γνωμόνων, τὴν
 τῆς ἀνατολῆς ἀκρίβειαν ἐγνώριζον. διὸ καὶ οἱ ἱερεῖς
 τῆτω μόνον τῶν πτηνῶν (*vox hæc procul dubio*
in mendo cubat, cum de quadrupede agi o-
mnnes circumstantiæ evincant. Reponendum
ergo aut cum Bocharto τῶν κτηνῶν, aut cum
Mercero in h. l. τῶν θηρῶν, qui in vanum flu-
ctuat, an pro ὄρυγα legendum sit ὄρυγα cum
affinia de oryge narrent Plutarchus, Ælianus &
Plinius, quos Hoeschelius ad hunc locum contu-
lit) ἀσφράγιζον ἐδοξίσιν. Ἐπειδὴ ἀντιδικίαν πινῶ
 πρὸς τὴν Θεὸν ἔχειν φαίνεται, καὶ γὰρ κατὰ τὴν ἐρη-
 μίαν, ἔ ἐὰν λάβηται ὑγραγωγῆ πόπυ, πινὸν τοῖς χεί-
 λεσιν ἀναπαράσσει, καὶ μιγνύει τῷ ὕδατι τὴν ὕλην:
 τοῖς δὲ ποσὶν εἰς αὐτὸ ἐπιπέμπει κόνιν, πρὸς τὸ μη-
 δενὶ ἑτέρω ζῶω, τῆτω πόπιμον ὑπάρξαι. ἔτω πονηρὰ
 καὶ ἀπεχθὴς ἢ τῆ ὄρυγος ἐνομίθη φύσις. ἔδε γὰρ
 ἔδε τῆτω καθῆκον ἐργάζεται, τῆς Θεῶ αὐτῆς πάντα
 γεννώσης καὶ αὐξάνουσης ὅσα κατὰ τὸν κόσμον εἰς χρί-
 σιμα

Origa i. Porro impurum scelestumque notantes animam Orygem pingunt, quoniam ad ortum accedente Luna, intentis in Deum oculis prospiciens, vociferatur: non ei bene dicens, nec fausta acclamatione gratulatione ve prosequens. Cujus rei argumentum est apertissimum, quod anterioribus cruribus terram effodiens, suas ipsius pupillas humi velut pingens defigit, quasi indignabunda, invitaque dea ortum aspiciens. Idem quoque in exortu Solis divini sideris efficit. Quapropter antiqui Reges cum sibi ortum nunciaret horarum observator, hoc sistentes animal per medium ipsum velut gnomones quosdam, ortus rationem ac tempus accurate certoque cognoscebant: unde ☉ sacerdotes solam hanc inter feras non signatam comedunt; quod similitatem quandam cum dea exercere videatur. Etenim quemcunque in deserto locum aquis scatentem nactus fuerit, posteaquam biberit, labris turbat, tutumque aquae commiscet, ac pedibus in eam pulverem conjicit: idque ut nulli alii animanti sit ad potum idonea. Adeo prava ac infesta putatur Orygis natura. Nam ne hoc quidem officium dea prestat, quum ipsa omnia, quae toto orbe sunt utilia, gignat, augeat ac vegetet. Ex hac orygis descriptione varios characteres populo Israelitico peculiare exsculpere licet. Ille enim & Aegyptiis abominationi, & temporum, in quae ortus Solis justitiae seu stellae ex Jacobo oriundae incidebat, scrutator erat, & ab idololatraco Aegyptiorum cultu abhorrere, & ab aliis gentibus segregari debebat.

§. VI.

Ut vero eo clarius elucescat, verba per Belemum.

leamum prolata Spiritum sanctum habuisse pro
 authore, eandem phrasin Moses adhibuit fata
 Israelis & literalis & spiritualis percensens, &
 inter benedictiones Josephi has quoque enu-
 merans Deut. XXXIII. 16, 17. Et gratia habi-
 tantis rubum, veniet illa in caput Josephi & in verti-
 cem Nasiræi fratrum suorum. Primogeniti tauri ejus
 est majestas, & cornua monocerotis sunt cornua
 ejus. Ipsi Judæi hunc locum adhibent, ut ex
 eo probent, non tantum populum Israeliti-
 cum cum monocerote, sed & Messiam cum cor-
 nu ejus comparatum esse. Sic legimus in Mi-
 drasch Tillin, loco, quem Raymandus jam addu-
 xit Pug. Fid. P. II. c. II. p. m. 415. ad ver-
 ba Pf. XCII. II. Exaltabitur quasi monocerotis

cornu meum: מה ראם זה קרנותי גבוהות מכל
 הבהמה והוא מננה לארבע רוחות שבשמים כך
 משיח בן דוד מננה לכל רוח עליו אמר משה
 בכור שורו חדר לו וקרני ראם קרניו בהם
 עמים יננה יחדו אפסי ארע והם רבבות אפרים
 והם אלפי מנשה ועמו רבבות אפרים ואלפי מנשה
 i. Quomodo sunt cornua unicornis altiora, quam cor-
 nua omnium bestiarum, & ipsa est ventilans ad
 quatuor ventos cœli: sic Messias filius David erit
 ventilans ad omnem ventum. Et super eo dixit Mo-
 ses: Primogenitus bos ejus decor ei & cornua ejus
 cornua monocerotis: in ipsis populis ventilabit simul,
 & ipsa mille millia Ephraim, & millia Manasse.
 q. d. Et cum ipso erunt mille millia Ephraim & mil-
 lia Manasse. Hic facile mihi dabitur, habitan-

tem

tem rubum eundem esse qui nubem nostram splendidam incolebat, eodemque sub symbolo splendoris in altum surgentis se Mose Exod. III. 2. 3. revelasse, quod deinde constanter & in monte Sinai & in sanctuario servavit. Unde infero idem, quod Propheta nominavit gratiam habitantis rubum esse majestatem tauri, & cornua monocerotis. Sicut enim gratia illa in caput Josephi se demittebat, ita cornua sunt ornamentum ex capite prominens. In eo forte quis hæreret, quod duo hic cornua monocerotis memorantur. Sed præoccupavimus orygam alios unicornes, alios b. cornes fuisse. Ipsa quoque columna nubis certo respectu tanquam duplex considerari poterat ob duplicem usum diurnum ac nocturnum, & duplicem adspectum inde nascentem secundum illud Num. XIV. 14. In columna nubis præcedis eos per diem & in columna ignis per noct. m. Unde Cel. Huetius ortum putat, ut in templis Jovis, Herculis aliisque antiquissimis, ob famam hujus columnæ miraculosæ interdum una, interdum duæ columnæ effingerentur Dem. Evang. Prop. IV. Accedunt causæ satis fonticæ, cur Spiritus hoc in loco bicornium emblemata adhibeat, sive de Israëlæ literali, sive de spirituali cogitemus. Quod enim literalem attinet, cū Josephi benedictiones enumerarentur, non potuit non Spiritui prophetico obversari domum Josephi in duas tribus esse scissam, quæ singulæ gloria Dei inter se commorante gavisuræ erant. Unde etiam
statim

statim additur : *Et illæ sunt myriades Ephraim ;*
& illæ chiliades Manassis. Quod vero spiritua-
 lem Israel N. T. concernit, lubentes acce-
 dimus Cel. Coccejo, qui sub typo Josephi re-
 præsentatam putat Ecclesiam N. T. qualis fuit
 post Constantini M. tempora. Illa vero inter
 alia huc pertinentia illud peculiare habuit,
 quod ab *Oriente in Occidentem* dilatata fuit, quæ
 tanquam terræ cornua consideravit antiqui-
 tas : unde Alexander Magnus, utriusque de-
 bellator *Dulkernain* seu bicornis, ab Arabibus
 est appellatus. Vide *Spanhemium* l. cit. Ad-
 de nummum Regis Parthorum explicatum a
 Cl. *Terrino* *Memoir. des Trev. Novembr. 1702.*
 p. 335. sq. Accedit, quod Ecclesia utrosque tum
 temporis Solis terminos occupans quasi in duo
 cornua, *Orientalem* nempe & *Occidentalem*,
 seu mavis *Græcam* & *Latinam* scissa esset. Hoc
 autem tragicum licet schisma, nullo tamen
 impedimento futurum, quo minus utraque
 Ecclesiæ pars, tam *Orientalis*, quæ antitypus
Manassis, quam *occidentalis*, quæ *Ephraimo* re-
 spondet, gratia & majestate habitantis rubum
 per aliquod tempus collustranda & contra
 omnes hostium insultus defendenda sit. Lux
 inde affundi potest viso Apocalyptico *cornua*
Agni bestię adsignanti Apoc. XIII. II. Inter-
 pretes ut plurimum per hæc *cornua* Romæ hy-
 pocriticæ potentiam secularem & Ecclesiasti-
 cam adumbrata putant. Vide *Grellosum* *Pro-*
drom. Apoc. p. 158. *Morus* *Op. Theol. p. 639.*
 alii-

aliquæ de duobus Patriarchatibus Romano & Constantinopolitano cogitant. Nequeo in eorum sententiam descendere, quia *cornua Agni* Apostolus videt, id est qualia ipse ille Agnus in medio throni Dei gestat. Malo igitur Vicariatum Papæ intelligere, quem in utramque Ecclesiam, Orientalem atque Occidentalem prætendit, & quo omnem eam gloriam ad se rapuit, qua hæctenus Christus ipse utrobique fulserat.

§. VII.

His præmissis facem succendere licet loco Pf. XXII. 22. in quo Messias orat: *מִקְרָנֵי רַמִּים יַעֲנֵינִי* i. *a cornubus Monocerotum seu Orygum responde mihi.* Ubi, secundum plerosque, per *monocerotes* intelliguntur hostes Messiaæ, seu Judæi, seu secundum alios potius *Principes imperii Romani*, & qui eos representabant: fieret nempe Pilati jussu, ut Christus ablatu a cruce honeste sepeliretur, ejusque cadaver intemeratum relinqueretur, quod in spem resurrectionis rogabat a Patre. Ita post alios Cl. Tillius Zoolog. Sacr. P. II. c. 10. p. 67. Coacti sane aliquid hæc interpretatio mihi habere semper visa est. Nec enim potui videre, quid exauditioni seu liberationi Christo ex morte cum Pilati sepulturam & custodiam corporis Christi permittentis actione commune esset? Licet enim multum contulerit a posteriori ad resurrectionis Christi veritatem demonstrandam, qua potissimum fini providentia divina hæc ita direxit, nihil ta-

men a priori, ad promovendam ejus e morte ereptionem, nullo auxilio humano solo Dei robore præstandam. Neque, quod præfiscini dixerim, signum singulare instantis liberationis in hoc Pilati actu deprehendo, quod animæ Christi in manibus Patris quiescentis, Paradisi jam gaudia præcipientis, atque plenissime justificatæ spem erigere potuerit, quæ tum, cum Pilatus illa permittebat, jam longe certioribus gaudebat gloriosissimi triumphi indicibus, atque ad illum se accingebat. Potuisset quidem, id fateor, Pilati indulgentia, a discipulis Domini ut præludium instantis liberationis considerari, si ad prophetas attendissent. Sed nimis imprudens & tardum cor habebant, quam ut vel micula spei inde in iis gigneretur. Nescio quoque, cum Romanum Imperium sub uno tum capite esset, cumque unicus Pilatus hunc favorem corpori Christi exhiberet, cur plurali numero Spiritus hic uti voluisset. Accedit, quod, quamvis רַאמִים semel, Jes. XXXIV. 7. in sensum deteriorem sumantur, clerum Antichristianum titulos doctorum Ecclesiæ verorum eminentem designantes, id quod Judæorum Magistri subodorantes pro רַאמִים legendum volunt רומיים *Romani*, uti *Eisenmengerus* probatum dedit Jud. Revel. P. II. c. 2. p. 173. quod adeoque per accidens & ob prætensam veræ religionis speciem fit, nunquam tamen *cornua Orygum* alio quam bono sensu adhibeantur. Ipse hoc agno-

agnovit Tillius, quando l. c. p. præcedente 66. factus est: *Quoad cornu* (Monocerotis) notandum est, quod in scripturis semper in bonum accipitur, atque significet potentissimum auxilium hostibus opponendum, quo eorum vis facile avertatur. Quod tamen hypothese ejus in locum psalmi plane contrariatur. Et quam maxime huic sententiæ ipsa obstat constructio verbi ענה cum præfixo מ, quod necessario locum, ubi Dominus se manifestat, & ex quo auxilium præstat, innuit. Sic Ps. III. 5. ויענני מהר קדשו Et respondit mihi ex monte sanctitatis sue. Simillima est constructio synonymi שמע in eadem causa a Messia Ps. XVIII, 6. usurpata: *Audiet ex palatio suo vocem meam.* Quare malim hic quoque per *monocerotes* seu *oryges* intelligere populum Dei, Israelis antitypum, cujus *cornua* sunt ipsa gloria divina in gratia & veritate se ei manifestans, uti olim typice in columna factum erat. Idque eo magis, quia vs. 4. Messias consideraverat Patrem ut יושב ההלות *habitantem laudes Israelis*, quæ phrasis ex שכנה seu in habitatione Dei in sanctuario procul dubio est explicanda. Quare etiam illico post nostra verba addit: *Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in media congregatione laudabo te*, ut indicet in eodem loco, unde auxilium Pater sibi præstiterat, laudes quoque ejus decinendas. Cæterum mystice ex sanctuario, ex loco Schechinæ Deus exaudiens Messiam introducit, quia propter fideles

& ad eorum preces Filium liberavit. Neque remoram nobis injicit, quod in plurali *cornua monocerotum* memorentur. Aut enim ad augendam emphasin id fieri potuit, aut cum respectu ad duplicem Israelem literalem & spiritualem, illum V. hunc N. T. aut quia jam tum Ecclesia a monte visibili cœperat abstrahi & in cœtus separatos, mox largius excreturos, dividi, qui singuli præsentia Dei gaudebant secundum Matth. XVIII. 20. Joh. XIV. 23.

§. VIII.

Pleniorem quoque hinc emphasin sortiri videtur phrasis quæ cornubus *elationem* tribuit. Sic Ps. XCII. 11. ותרם כראים קרני i. *Extulisti cornu meum, ut monocerotis* In quo loco evidenter, ni fallor, ad etymon ראם ♂ alluditur, quod a רים apte deducitur, non tam ob proceritatem staturæ, quam ob elevationem cornu, quæ animali huic pugnaci & intrepido peculiaris est, uti loca supra adducta docent. Et simpliciter de *elatione cornuum* tum Messia tum populi ejus agitur 1. Sam. II. 10. Ps. LXXV. 11. LXXXIX. 18. 25. CXII. 9. ubi quamvis *monocerotis* nulla fiat mentio, istud tamen animal procul dubio subintelligendum. Neque dubito hic respici ad illam *exaltationem* Domini in *columna* nubis, quæ coram conspiciebatur, quoties illustri quodam modo gloriam suam manifestare, populo antecedere, malos punire, hostes prostrernere volebat. Sic רים usur.

usurpatur Ezech. X. 4. וירם כבוד יהוה *su-*
stulit se gloria Domini a Cherub ad limen domus. At-
 que ita respondet קום. Pf. LXVIII. 2. Ad ta-
 lem elevationem mystice alluditur Pf. XXI. 14.
 Jes. XXX. 18. Ut jam pateream locum Sche-
 chinae in sanctuario כבוד מרום i. thro-
 num gloriae exaltatum dici Jerem. XVII. 12.
 Huc etiam spectat, quod circumscriptive Pf.
 CXII. 9. addatur: *Cornu ejus extolletur בכבוד*
in gloria. Et Pf. LXXXIX. בשמי *In nomine meo*
extollet cornu, quæ additiones manifeste ad glo-
 riam nubis nostræ, & nomen Domini per eam
 adumbratum alludunt.

§. IX.

Peculiare aliquid habet locus I. Chron. XXV.
 5. *Omnes hi filii Heman, qui erat videns Regis in*
verbis Dei להרים קרן. Vexatissimus est locus,
 eoque ut Clericus allatis diversis interpreta-
 tionibus malit ἐπεχει, quam certi quid pro-
 nunciare. Paraphrastes Chaldeus vertit למתקע
 בשופרא *ad clangendum tuba.* Quod plane alie-
 num est. Aliorum varias cogitationes, quæ
 tamen non satisfaciunt, in commentario ad
 Paraphrasten adducit Bekius. Nos duplicem
 hæc verba versionem pati statuimus. Aut
 enim reddi possunt *de exaltatione cornu,* aut *ad*
exaltandum cornu. Priori sensu argumentum
 verborum Dei, quæ Heman, Vir θεόπνευστος
 protulit, indigitatur, utpote quæ promissio-
 nem Davidi factam de exaltando cornu Mes-

fiæ & populi ejus illustrarunt & celebrarunt. Posteriori verò sensū declaratur scopus canticorum Hemanis, qui erat ad cornu salutis Davidi promissum *laudibus evebendum*. Hanc enim notionem verbum **יום** frequenter habet Exod. XV. 2. 2. Reg. XXII. 47. Ps. XVIII. 50. XXX. I. XXXIII. 3. &c. Ita particula **ל** statim vs. 6. occurrit **לעבודת בית אלהים** *ad ministerium domus Dei*. Atque ita Hemani in scopo ministerii sui egregie conveniebat cum Jeduthune, qui prophetabat *ad confitendum & laudandum Jehovah*, uti commate præcedente tertio declaratur. Optionem erudito lectori permittimus, quam ex his duabus amplecti velit sententiam: quamvis posterior magis nobis arideat. Istud certum est, regnum Messiaë sub titulo *cornu* emphatice considerari in illis canticis, quæ usui sanctuarii destinata erant; in quo *fulgidum* illud Messiaë *cornu* per inhabitationem Dei gratiosam super arca fœderis egregie præfigurabatur.

§. X.

Hæc forte sufficiunt ad probandum, fulgorem *columnæ* illius admirandæ cum *cornu* rite comparari. Addimus nunc, illis in locis, ubi Messiaë simpliciter *cornu* attribuitur, indicia haut pauca esse, quæ nos persuadent, non tantum *cornu* pro *splendore* sumi, sed etiam ad splendorem *columnæ nubis* alludi. Retrogrado ordine a Cantico Zachariæ Luc. I. 69. ordiamur. In toto contextu vir divinus ibi supponit

ponit *visitationem* populi Israelitici a Deo, cum ex Ægypto redimeretur, typum fuisse redemptionis, quæ nunc a Messia expectabatur. Unde perpetua ad illam allusio. Confer vs. 68. cum Exod. II. 25. III. 16. IV. 31. vs. 71. cum Ps. CVI. 10. vs. 72. cum Exod. II. 24. vs. 73. cum Ps. CV. 9. &c. Cum autem hæc *visitatio* & redemptio a Domino in *nube* splendida præsentiam suam testante facta sit, quidni eo collimari putemus, quando *κῆρας σωτηρίας* Messia tribuitur? In quo non parum confirmamur, quando loca Prophetarum, ad quæ Zacharias ipse oculum se intendere commate sequente monet, sub censum vocamus. Inter ea reputamus Jerem. XXIII. 5. 6. *Ecce dies veniunt, ait Jehova, & excitabo Davidi Tzæmach justum, quod regnabit Rex, & prosperabitur, & faciet iudicium & justitiam in terra. In diebus ejus salvabitur Juda & Israel habitabit secure.* Insignem hic esse paralleliam patet. Nam 1) Tzæmach *Davidi* adsignatur. 2) Ei *excitandus*. דִּקְיָה idem est, quod ἐγείρειν, uti patet ex concordantiis τῶν ὁ. 3) Est Tzæmach *salutis*. Accedit, quod manifesta ad *κῆρας* allusio infra vs. 78. occurrat. Persuasi igitur sumus *κῆρας* & *κῆρας* quodammodo synonyma esse, & in eo convenire, quod utrumque splendorem indicet, & ad columnam nubis alludat. Cum vero plerique de voce *κῆρας* aliter sentiant, heic non subsisto.

Præ aliis Prophetiis locum Pf. CXXXII. 17. 18. conferendum in confesso est: שם אצמיה קרן ליהוה i. *ibi faciam, ut exsp. endescat cornu Davidi, disposui lucernam uncto meo. Inimicos ipsius induam pudore & super ipso florebit corona mea.* En non tantum קרן & אצמיה apposite juncta, sed etiam sub notione splendoris adhibita. Quomodo hoc ex addita mentione *lucernæ Moynius* probare voluerit, vidimus. Sed fortius nos eo adigit totus contextus Psalmi, in quo de reductione tabernaculorum Jehovæ, restitutione arcæ fœderis, cultusque & sacerdotii spiritualis redintegratione agitur. Nihil hic magis erat appositum, quam ut Davidi cum arca symbolum quoque gratiosæ præsentia divina restituendum promitteretur. Coniunguntur autem similia *cornu & lucernæ*, ut ad duplicem columnæ alludatur usum. Nam Israelem simul qua *lucerna* illuminavit, & duxit in itineribus suis, simul qua *cornu* ab hostibus defendit. Agnovit quoque hunc splendoris significatum *Sebius Dem. Evang. lib. VII. cap. 2. p. m. 348.* ad nostrum locum citatum addens: Πᾶ δὲ φησιν ἐκεῖ ἐξανατελῶ κέρας τῷ Δαβίδ, ἢ ἐν τῇ βηθλεὲμ τῇ εφραθαί; ἐντεῦθεν γὰρ τὸ κέρας τῷ Δαβίδ ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, οἷόν τι μέγα φῶς ἐξάνειλεν. i. *Sed ubi tandem ait se producturum cornu David, nisi in Bethlehem Ephrathensi? Inde enim cornu David Christus; quatenus ad naturam pertinet humanam, quasi ingens lumen exortum*

ortum est. Reliqua loca, in quibus allusio ob-
 scurior est, non moror. Aliqua tamen & in
 cantico Hannæ vestigia occurrunt, quando
 1. Sam. II. 10. ait: *Contendentes in Jehovam conte-*
rentur, contra quemque in cœlis intonabit, Jehova
judicabit fines terræ: nam dabit fortitudinem Regi
suo & extollet cornu uncti sui. Nam profligatio
 hostium & quidem emisso tonitru & fulmine
 id ipsum erat, quod ex ignita nube Dominus
 præstabat. Superpondii loco addimus, quan-
 do Zacharias *κέρας σωτηρίας* nominat, phrasi
 huic propius convenire cum illa, quam Mes-
 sias de Patre suo adhibet Ps. XVIII. 3. ubi eum
 nominat *cornu salutis suum*, quem tamen sta-
 tim sibi proponit tonantem, fulgurantem,
 prunas ardentes spargentem eadem, qua olim
 in Sinai ad promulgandam Legem apparue-
 rat, specie.

§. XII.

Dum vero notionem *splendoris* τὸ ἰσχυρὸν asse-
 rimus, notionem vocis magis communem
 non excludere nec inutilem Virorum docto-
 rum laborem reddere volumus, qui cornu
Messie tanquam symbolum majestatis regiæ
 atque roboris interpretati sunt: quamvis in eo
 parumper hallucinati videantur, quod ple-
 rumque *cornu* generatim cum persona Christi
 contulerint, cum specialius hoc symbolum
 ad regimen ejus transferre debuissent. Opu-
 lentio rem tantum hujus emblematis sensum

prævia Scriptura reddere volumus. Cum enim certum sit, *columnam nubis* & *ignis* externa quoque specie *cornu* in altum erectum representasse, & sicut animalia cornibus prædita potissimum suum robur in iis repositum habent, ita Israelitis eandem summum robur conciliasse; hinc illos omnem hujus emblematis emphasin exhaurire ducimus, qui utramque *cornu* & *splendoris* notionem conjungunt. Voluit igitur Spiritus sanctus voce *יְהוָה* imperii Messiaë & invictam contra omnes hostes potentiam sub priori, & simul divinam gloriam in ejus administratione ubique relucen-
tem sub posteriori significatu
involvere.

Brevis historia vitae

*HERMANNI ALEXAN-
DRI RÖELL,*

S. S. Theol. & Phil. D. ac
Theologiae in Academia Traje-
ctina ad Rhenum Professoris
Ordinarii.

Hermannus Alexander RÖELL natus est
anno aerae vulgaris MDCLIII. in
praedio paterno, cui nomen Döl-
bergh, sito in Comitatu Marcano
Westphaliae, haud procul Unna. De
mense & die natali non constat; quod, paren-
tibus defunctis, ipse & pars fratrum infantes,
pars tenera aetate vix dum pueritiam egressi
erant; & quod deinde album vicinae Eccle-
siae, in quo notatum erat, quo die ibi quique
baptizati essent, Urbe Unna a Gallis anno
1673. incensa, una cum aliis instrumentis ejus
Ecclesiae periit. Susceptorem e sacro bap-
tismate habuit virum illustrem Alexandrum Van
Spaen, qui deinde cum summo imperio copiis
Serenissimi Electoris Brandenburgici praefuit,
a quo & Alexandri tulit nomen. Pater ei fuit
Johannes RÖELL, Alsatia non longe ab Ar-
gen-

gentorato oriundus. Hic cum in adolescentia alieniorem a literis animum ad arma adiecisset, postquam in decantato illo, quod per 30. annos gestum est, bello Germanico diu sub Serenissimo Hassiae Landgravio, aliisque Germaniae principibus, militaverat, tandem a fortissimo heroe Frederico Wilhelmo, Electore Brandenburgico, bellicae virtutis praemium tulit praefecturam manus equestris, quam Regimentum equitum vulgo dicunt, in quo jam per aliquot annos proximum ab illo rei militaris peritissimo Principe Waldeccio, Georgio Friderico, Colonello, ut vocant, locum obtinuerat. Verum haud diu post adeptam eam dignitatem, dum in apparatu itineris in Poloniam, quo arma principis sui eum vocabant, suscipiendi totus est, morbo oppressus post paucos modo supra quinquagesimum natalem exactos annos, decessit die 26. Maji anno 1656. Matrem habuit Elisabetham *Bruggemans*; cui sive patruus, sive patruus magnus fuit Thomas Gephyrander, e comitatu Marcano Unnensis. Virum hunc prorsus eximium vocat Vir Cl Cornelius *Hasaews*, sacrarum literarum in Ecclesia & schola Bremensi Doctor & Professor Celeberrimus, in oratione, quam habuit *de praecipuis anni secularis 1700. commemorabilibus*, illustrisque Gymnasii Bremensis inde a primis ejus incunabulis nonum ordine Rectorem fuisse docet, sed, cum illum uxor, Patriae amore detenta, nolisset sequi, deser-

ta

ta statione hac ampliore, anno 1599. ad suos rediisse, postquam unius tantum semestris labores peregerat. Finem vitae attigit Elisabetha die 26. Nov. anno 1655. e qua complures, praeter Hermannum Alexandrum, liberos suscepit Johannes, cui e priore quoque matrimonio natus erat Matthias Christophorus, de quorum numero ad aetatem adultam pervenerunt Johannes Jacobus, Dominus hereditarius in Dölbergh; Carolus Andreas; Georgius Fredericus, Dominus in Conerding; castra omnes secuti; ut & Catharina Elisabetha & Anna Maria; quarum illa nupsit Viro Consultissimo Johanni Dückerō, Jcto, primum Satrapiae Unnensis & Camenensis Secretario, post Unnensis Dioeceseos Quaestori, Urbisque Unnae Consuli; atque huic peperit Clarissimum Virum Carolum Andreā Dückerum, qui nunc in Academia Ultrajectina Historiam & Eloquentiam publice docet; haec tori consortem nacta est Consultissimum virum Theodorum Conradum Zahn, Jctum, & hoc fati functo, Virum Strenuissimum Alexandrum van Suiverich, Vicetribunum, seu Colonellum, ut vocant, locum tenentem inter copias equestres Episcopi & Principis Monasteriensis. Superest ex iis numerosa etiamnum soboles. Hermannus Alexander, quem a teneris unguiculis literarum amor non mediocris ceperat, in scholis primum inferioribus, mox anno 1669, & 1670.

in

in illustri Gymnasio Urbis Hammonae linguarum & scientiarum studiis diligentem navavit operam, præceptoribus usus, qui summa doctrinae laude ibi tunc docebant, Viris eximiis, Adriano Pauli, Theol. D. & ejusdem scientiæ ac Hebr. L. Professore Ord., ac Verbi Divini Ministro, & Abrahamo Gulichio, Philos. & Eloq. Ord., Theologiæ vero extraordinario Professore, Franequeram postea anno 1679. ad docendam Philosophiam vocato. Horum ductu & auspiciis cum in literarum humaniorum & Philosophiæ cognitione multum jam profecisset, & profectuum istorum specimen defensione publica Disputationis *de Studio Mathematico Philosophiæ præmittendo* sub præsidio Cl. Gulichii 2. Jul. 1670. edidisset, Trajectum Batavorum ad comparandam rerum divinarum, quibus unice capiebatur, scientiam se contulit, ibique summo cum fructu aliquamdiu audivit magni nominis Theologum, Franciscum *Burmannum*, Sacrarum literarum in Acad. & Ecclesia Trajectina interpretem celeberrimum. Inde vero Martis Gallici jam appropinquante abstractus tumultu Groningam concessit, quosque in literis Orientalibus & Theologia fecerat progressus, promovit ulterius, ductore potissimum Jacobo *Altingio*, Theol. & LL. Orient. in Acad. Groningo-Omlandica Professore & V. D. M. Trajectina & Groningana commoratio inciderunt in annos 1670. 1671. 1672. Groningæ quoque vixisset diutius, sed
nec

nec hic otio longiore ipsum frui siverunt Urbem istam obsidione, quae & statim infecuta est, claudere jam parantes copiae Monasterienses; quapropter hortante, immo urgente, eo, quem dixi, Altingio invitus admodum & isti Academiae & Belgio valedixit. Suscepto inde per Germaniae magnam partem itinere cum aliis in locis, tum Bremae & Marpurgi, aliquamdiu substitit? Eadem quoque, ni fallor, tempestate Heidelbergae, ubi praeter Clariss. Doctissimumque Virum, Johannem Fredericum Miegium, S.S. Th. D. & Prof., ingens illud, non Academiae solum & Ecclesiae Archipalatinae, sed universi orbis eruditi, lumen, Johannes Ludovicus Fabritius, ipsum detinebat, aliquot dierum fecit moram. Helvetios hinc adiit, ac prope sesquiannum Tiguri adhaesit Celeberrimo & Eruditissimo Viro Johanni Henrico Heideggero, Theol. D. & Prof., qui pro singulari sua humanitate desiderio illius hoc dedit, ut aliquot singulis hebdomadibus horis solus solus Magni Cocceji *de fœdere & Testamento Dei* librum interpretaretur. Audiit quoque res sacras in ea schola docentem Cl. Myllerum; neque minus in rem suam vertit singularem eruditionem Viri Cl. Johannis Henrici Suiceri, Philosophiae olim & L. Græcæ in schola Hanoviensi Professoris, tunc Ecclesiastæ Birmenstorffiensis, ac postea professoris Tigurini, apud quem in agro studiorum causa per aliquod tempus vixit. Post biennium

nium in Helvetia summa animi cum voluptate exactum anno 1674. novum iter meditabatur, & Genevam quidem primo visere, mox Galliam lustrare, atque inde, salutata Britannia, in germaniam reverti constituerat, sed adversa valetudine propositum abrumpere, patriamque quantocyus repetere, est coactus. Ad suos redux Hammonensem denuo frequentavit scholam, in qua id temporis praeter Abrahamum Gulichium, quem supra dixi, Cathedram Theologicam haud parum exornabat vir egregius & fato meliore dignus, Wilhelmus MOMMA, Theol. & Linguae Sanctae Professor, quem Medioburgum postea, sed breve admodum tempus, doctrinae coelestis in Ecclesia & schola sua vidit & mirata est interpretem, Hujus optima ex disciplina, ac familiari consuetudine, postquam uberrimos collegerat fructus, publicisque interea Disputationibus, qualem anno 1675. mense Febr. praeside Momma habuit *de vera peccatorum satisfactione praestita per J. Christum*, concionibusque sacris privatim & publice habitis gnaviter sese exercuerat, Trajectum sibi iterum visendum statuit, ut, quo auctore eruditionis sacrae fundamenta olim jecerat, quemque sibi benevolentissimum fuerat expertus, ejusdem Burmanni ductu studiis Academicis colophonem imponeret. Anus tunc agebatur 1676., quo & Medioburgi per 14. dies ipsum fuisse constat, ductum desiderio videndi, quo dilectissimum sibi Mommam

mam traxissent fata. Hoc igitur, & sequentis
 anni initio, Trajecti consumtis, Leidam ultimo
 loco salutare in animum induxit. Vixit in
 ista Musarum sede aliquot mensibus, viditq;
 & docentes audivit, qui tunc Theologice
 ibi tradebant, viros Celeberrimos, Frederi-
 cum Spanhemium, Christophorum Wittichum,
 Stephanum le Moyne, & Antonium
 Hulsum, & Wittichio quidem prae ceteris usus
 est familiaris. Coluit etiam venerandum se-
 nem Abrahamum *Heidanum*, de cujus ille Vi-
 ri ingenio, eruditione ac pietate magnifice ad-
 modum & praeclare sentiebat, quemq; ut cano-
 capite ad populum verba facientem, paulo
 post quam prohibitus fuerat docere in Acade-
 mia, viderit & audiverit, non sine motu quodam
 animi referre erat solitus. Absoluto denique
 exercitationum Academicarum cursu reversus
 in patriam, brevi mox tempore interjecto a
 Colonienfibus ad obeundum in illo coetu E-
 vangeli ministerium est expetitus; verum
 pertinax, quocum per sesquiannum fere con-
 flictandum habuit, morbus effecit, ut, quam
 iis addixerat, operam suam denegare tandem
 post longiores moras cogereetur.

Postquam vero vix respiraverat, atque ad
 instaurandas plenius vires acidulis Pymonta-
 nis usus fuerat, alia statim ei, dum a fontibus
 istis redux Dettmoldiae liberio rem apud ami-
 cos Spiritum trahit, se obtulit occasio, ea quae
 studiosissime ac prope avare undiq; conquisita

congefferat, in bonum Ecclesiae publicum expromendi. Praebuit hanc rarum illud & toto orbe celebratissimum Virtutis & doctrinae inter foeminas decus Elisabetha, princeps Palatina, Frederici Bohemiae Regis filia natu maxima, Abbatissa Hervordiensis, quae eum, nil tale opinantem, humanissime Hervordiam ad se vocavit, & benevolentiae singularis vinculis ita constrinxit, ut, quamvis ob certas causas prope invitus, Ecclesiae Aulici personam ab ea sibi imponi tandem pateretur. Et fungi quidem isto munere jam coepit mense Aug. anni 1679. At 31. Oct. die literis, manu Elisabethae notatis, id ipsum rite in eum est collatum. Ordinatio vero, quam vocant, tertio demum Decembris die est peracta, in quod tempus dilata fuerat ob infirmitatem Principis. Mansit in hac statione per octo prope modum menses ad usque Elisabethae, qui tunc accidit, obitum. Vix ullum vitae suae tempus jucundius sibi actum saepe testatus est eo, quod exegit Hervordiae: cum & non mediocri favore ipsum complecteretur, & familiaribus saepe colloquiis dignaretur, Sapientissima Princeps, & ingens quotidie ad ejus aulam esset confluxus Virorum natalium splendore, dignitate, doctrina & pietate illustrium, ex quorum consuetudine doctrinae suae augere copias, majoremque rerum usum & prudentiam indies comparare ipsi licebat. Hic quoque cum celebratissimo
 seculi

seculi superioris medico & Philosopho, Hel-
 montio, notitiam ipsum primum contraxisse,
 quae Coloniae dein in aedibus spectatissimi
 viri D. Mitz aucta fuit, existimem. Statione
 Hervordienfi decedere vi majore coactus, sui-
 que denuo juris factus, privatim aliquamdiu
 vivere, & sanctoribus mentem deliciis, do-
 nec congrua votis sparta obtingeret, pascere
 apud animum constituit, eoque sine Bremam,
 quo non alius isti instituto magis opportunus
 occurrebat locus, concessit. In hac urbe dum
 degit, tum cum aliis, qui ibi vivebant, Viris
 eruditis, & in iis pietatis ac doctrinae laude in-
 clyto Theodoro UNDERECK, Ecclesiae
 Bremensis Pastore, consuetudinem junxit, tum
 in primis familiaritate non solum, sed & con-
 tubernio sex mensium spatio usus est Viri
 Clarissimi, cujus supra quoque mentio facta,
 Cornelii HASAEI, quocum jam olim in ea-
 dem hac urbe nata atque in aliis Belgicae
 Academiis aucta amicitia ipsi intercesserat.
 At non diu hanc sibi suisque Musis vivendi
 rationem ipsum sequi permisit Divina Provi-
 dentia. Post exiguum enim temporis inter-
 vallum, cum a Serenissima Principe Tarenti-
 nensi, tum, eodem an. 1680. i. Sept. die ab Alber-
 tina, Principe Arausionensi, Wilhelmi, Nas-
 saviae Principis, Frisiae Gubernatoris, vidua
 ad ejusdem, quod apud Palatinam obiverat, mu-
 neris functionem honestissimis conditionibus
 est invitatus. Quae res cum ipsius animum,

quid factu opus, nescium, dubiumque, non leviter angeret, eo magis, quod aliunde quoque spes affulgebat, quae teneret in æquilibrio, tandem, re serio deliberata, Serenissimæ Albertinæ quæ prior operam ejus expetiverat, sese dedit. In hujus aula, modo Leovardiae, aut Sylvae Arausionum in Frisia, modo Deciae in Nassovia, vixit ad mensem usque, ut ex instrumento, quod vocant, dimissionis colligere datur, Julium anni 1682. cum jam X. Aprilis die a Daventriensibus delectus esset, qui Viro Rev. Jacobo Schuilemburg, Leovardiam evocato, in Ecclesiae Daventriensis gerenda cura succederet.

Inde per tres & quod excurrit, annos, Daventriam, quae Urbs est Transsalaniae ordine prima, fortunarum suarum habuit sedem, neque solum Oraculorum divinorum ad populum egit interpretem, verum & Nobiliss. atque Ampliss. Magistratum auctoritate Studiosae juventutis, cui aureum Cocceji de *fædere & Testamento Dei* commentarium explicabat, commodis se lubens impendit. Anno 1685. die 13. Junii ad profitendam in Academia sua Philosophiam, quam spartam morte sua vacuam fecerat Vir Cl. Thobias Andreae, ipsum invitaverunt Illustres ac Præpotentes Frisiae Proceres, agente & hortante praecipue Serenissimo Principe Nassovio, Henrico Casimiro, Frisiae & Groningae Governatore, qui eum in aula Matris suae Albertinae agen-

tena

tem gratia ac benevolentia complexus, eadem constanter profecutus est. Illis vero ad se vocantibus quo minus morem gesserit, hanc ipse in Oratione, quam Franequerae habuit, Inaugurali, adfert causam, quod non ita sui oblivisci potuerit, ut immemor divinius illius, qui se ad studium Theologiae olim impulerat, motus, temere sacra ejus castra, quae religionis & sacramenti cujusdam lege aliquot jam annos secutus erat, desereret; atque inter Philosophos, ut ait illa, oberraret tristis & ignobilis umbra. Postquam vero hunc sibi scrupulum adjecta mense ejusdem anni Sept. ad extraordinariam Theologiae Professionem vocatio exemerat, non potuisse aliter judicare, quam inevitabili fatorum vi Franequeram se trahi, & sequendum esse, in eadem Oratione profitetur. Anno igitur 1686. mense Januario a senatu Ecclesiastico & Amplissimis Urbis Daventriae Magistratibus, qui & ipsi Theologiae in suo Gymnasio Professionem, ut apud se retinerent, ei obtulerant, dimissus, in Frisiam venit, munerisque, quod in se susceperat, Academici administrationem exorsus est. Ante vero, quam solenniter ei inauguraretur, mensis Junii die 2. extraordinaria Theologiae Professio cum ordinaria Illustr. procerum decreto fuit commutata. Inaugurationis actus incidit in diem XV. Kal. Jul. 1686. quo & suum quisque in eadem Academia munus, habitis Orationibus, solenni

ritu capessiverunt Viri Clarissimi & Celeberrimi, Henricus Philiponaeus de *Hautecour*, fato jam functus, S. S. Theologiae, Cornelius van *Eck*, quem & Trajecti postea collegam invenit, Juris; & Johannes *Regius*, Philosophiae, Doctores & Professores. Mensis Octobris sequentis die 8. geminum Doctoris Theologiae & Philosophiae artiumque liberalium Magistri ab Amplissimo Senatu Academico tulit titulum. Hos adeptus supremos studiorum honores, jamque vitae coelibis pertaesus, vitae fortunarumque sociam quaesivit, atque Amstelodami invenit, splendidissimae illius Urbis civem, Corneliam BAILLI, Johannis Bailli & Sarae Ryckaert filiam natu maximam, adhuc superstitem, quae ipsum novem liberorum fecit parentem; ex quibus tres in aetate prima decesserunt, sex etiam nunc superant; Johannes Alexander J. V. D. & causarum in foris Haganis Patronus; Dionysius Andreas, Theol. & Phil. Doctor, & Philosophiae in Ill. Gymnasio Daventriensi Professor Ord.; Daniel; Sara; Cornelius Capituli S. Salvatoris, sive Veteris Monasterii, quod est Trajecti ad Rhenum, Canonicus, & Guilielmus. Annus secularis 1700. ipsum fascibus Academiae Frisorum ornatum vidit, ad quod honoris incrementum biennio post accessit luculenta Illustrium Frisiae procerum, centum Philippicis annuis stipendium ejus augmentum, erga ipsum benevolentiae significatio. Animo

mo jam dudum constituerat, atque ita se paraverat, quasi eundem commorationis suae in Frisia, quem & vitae, habiturus terminum. Verum aliter visum fuit supremo rerum humanarum arbitro. Hoc igitur fata ejus sic moderante, Nobilissimi & Amplissimi Magistratus Trajectini, literis publice scriptis, die 9. Junii anno 1704. honorificentissimis ipsum conditionibus, consensu unanimi, ad gerendam in Academia sua Ordinarii S. S. Theologiae Professoris personam invitant. Quorum vocationi cum annuisset, atque ea, quae concedi sibi postulaverat, Decreto Amplissimi ordinis impetrasset, insuperque destinatum ipsi stipendium accessione ducentorum Carolinorum auctum esset, mensis ejusdem anni Septembris die 22. more solenni in Academia Trajectina dignitatis fecit auspiciam. Duobus post interjectis annis publicum favoris eorum, ad quos Rei publicae & literariae constituendae cura pertinet, accepit testimonium, Rectoris Academiae munus. Adscitus est quoque, dum Trajecti agit, in numerum seniorum Ecclesiae Belgicae, quo & sive honore, sive onere, Franequerae olim cum in coetu Walonico, tum & bis in Belgico, fuerat perfunctus, bis quoque ad synodum Frisicam classis Franequeranae nomine delegatus. Annus tandem advenit, qui ipsi inter mortales degenti ultimus fuit, Millesimus septingentesimus octavus decimus, quo eum

post absolutum modo laborum Academicorum, quos ad extremum usque alacriter obiit, circulum annum, initio mensis Julii lethalis occupavit, terrisque ereptum caelo, quod votis dudum petierat, reddidit morbus. Eum sentire coeperat Trajecti eodem die, quo tristissimum de morte carissimi atque aestimatissimi affinis, Viri spectatissimi, Henrici Hop, societatis Indiae Orientalis, quae est Amstelodami, Directoris, acceperat nuntium. Cum vero, quicquid erat illius aegrotationis, jam profligatum propemodum videretur, Amstelodamum ad prosequendum modo nominati affinis funus triduo post excurrere non dubitavit. At mox simul eo appulerat, recruduit malum brevique ita adgravatus est iste morbus, ut ineunte Julii duodecimo jam haud dubia mortis, quae & vespera ejusdem diei placida insecuta est, apparerent indicia. Incidit illius obitus in annum vitae sextum & sexagesimum. Longiora vivendi tempora spondere ipsi visa fuit senectus vicens & vegeta: At, quam nihil sit in rebus humanis certi, cunctaque suo obnoxia gerantur imperio, declaravit Mundi Conditor & Rector, Deus, paucorum dierum febris violenta & continua mortalis corporis exsolvens vinculis, quem multi olim ab ineunte adolescentia, iique gravissimi frustra tentaverant morbi. Scriptorum, quae in publicum emisit, haec est series:

Anno

Anno 1683. cura ejus prodiit Abrahami Gulichii מבוא הנביאים, opus posthumum, quod Serenissimo Principi Henrico Casimiro inscripsit, & præfatione auxit.

1686. Oratio Inauguralis, habita Franequeræ, de *Religione Rationali*, quæ lemmatibus dein aucta, in ꝑ. ꝑ. distincta, & in Belgicam quoque linguam anno 1705. est conversa. in fol. & in 8.

1687. Examen breve positionum XII. Viri Ampliff. Ulrici Huberi; Vindiciæ ejusdem Examinis. 4.

1689. Theses Theologicæ de Generatione Filii & morte fidelium temporali. 4.

1689. 1690. Dissertationes binæ Theologicæ de eodem argumento, oppositæ Clariff. Viri Camp. Vitringa de eadem materia dissertationibus. 4.

1691. Kort en eenvoudig bericht van het verschil over de Geboorte des Soons, en Tydelicke Dood der Geloovige. Dissertatio Philosophica de *Mente*, quod sit, sive de ejus Existentia. 4.

1692. 1693. 1695. Exercitationes Theologicæ tres ad verba Pauli 1. ad Tim. I, 5. 4.

1700. Dissertationes Philosophicæ de Theol. Naturali duæ, de Ideis innatis una, Cl. Ger. de *Vries* diatribæ opposita in 8.

1701. Oratio funebris de Vita & Morte Viri Cl. Phil. *Matthæi*, Honorarii Medicinæ in Acad. Frisiorum Professoris &c.

1702. Analysis Paraphrastica Ep. Pauli ad Eph. pars prior : Disputatio Theol. de Scriptoris Ep. ad Eph. nomine & divino munere.

Eenige Uitgeleezene Leerredenen van Antonius Rouse, in zyn E. leven bedienaar des H. Evangeliums te Maestricht. Praemisit iis præfationem, in qua de Pastorum doctorumque munere differit ad Eph. IV, 11-15. in 4.

1704. Oratio Inauguralis, habita Trajecti, de Theologia, & Theologiae supernaturalis præ Naturali præstantia; quæ & Belgice mox prodiit. in 4.

1706. Disputatio Theol. de Sanctitate Dei & Hominis. 4.

1714. Prophetia Zachariæ, explicata a Viro Clariss. Sam. Tzatmar Nemethi; cui amplam de sermone prophetico ad 2. Petr. 1, 19-21. Dissertationem præmisit.

1715. Commentarius in Principium Epist. Pauli ad Ephesios, quo etiam continetur demonstratio divinitatis scriptorum Pauli. 4.

1717. 1718. Disputationes Theologicae tres ad Eph. 1, 15. 16.

Inter Anecdota ab ipso relicta reperiuntur calamo a discipulis, ipso dictante, excepti Commentarii amplissimi in Psalmos VIII. LXXXIV. LXXXIX. CVII. Evangelium Johannis, Epistolas Pauli ad Galatas, Ephesios, Philippen-
ses,

ses, & Colossenses, utramque Petri Epistolam, Catechesin Heidelbergensem; Geulingii Ethicam, & præcipue in propriam de religione rationali orationem. Hic postremus cum plenum contineat Theologiæ naturalis systema, & præ cæteris accurate a discipulis exscriptus sit, publicationem ejus Philalethis omnibus fore gratissimum dubitari nequit. Constat enim in hac præcipue doctrinæ parte τὸν μακαρίτην primas dum viveret tenuisse. Commertium per literas frequens ipsi intercessit tum cum multis vel Natalium splendore, vel dignitatum amplitudine, illustribus, tum cum quamplurimis doctrinæ gloria per Germaniam, Hungariam, Helvetiam, & Belgium claris viris, quorum catalogum tenere longum foret.



VII.

Refutation du Commentaire Philosophique
&c. id est:

Refutatio libri inscripti: *Commentarius Philosophicus: sive solutio generalis & destructio sophismatum omnium, quibus Author ejus utitur eo fine, ut tolerantiam inlimitatam ubique locorum stabiliat, per quam exercitium publicum omnium errorum & hæresium, quarum ingenium humanum capax est, admitti queat.*
Tomi Duo. Authore PHILIPPO, NAUDE Math. Prof.

Prof. & Soc. Reg. Berol. membro. Berolini. 1718.
12. Prior habet paginas 464. posterior 536.

DUæ sunt machinæ sibi invicem plane oppositæ, quibus infernus, si unquam, certe in diebus nostris, fundamenta fidei conquassare tentat. Alteram IMPIETAS, SUPERSTITIO alteram admovet. Illa omnes ejus cancellos diruit, plenamque credendi non tam *libertatem*, quam *licentiam* invenit: hæc eosdem nimium coarctat & intolerandum conscientiis imponit jugum. Illa *rationi* corruptæ *fidem* subjiciens, in servitutem eam redigit, hæc vero ejusdem *rationis* omnem, etiam legitimum proscribens usum, oculis fidem privat. Ex quo patet, quam salutare Salvatoris fuerit monitum, quando discipulos suos sibi sollicitè a *fermento Phariseorum & Sadduceorum* cavere jussit Matth. XVI. 6 Marc. VIII. 15. Luc. XII. 1. Qui quidlibet sub ipsa Christianismi professione credendi potestatem invehunt, *Sadduceorum* vestigiis insistant: humanitus vero excogitatis animos hominum ad libertatis usum per naturam suam anhelantes, ad ligare limitibus, ipsissimus est *Phariseismus*. Priores ex nostra sententia per *valles*, posteriores per *colles* regno Christi se opposcentes prophetia pingit Jes. XL. 4. Utraque pars speciosis se incrustat titulis. Hæc amorem *Dei*, illa *proximi* crepat. Utraque æque est perniciosa. Nam sive ad *dextram*, sive ad *sinistram*

*n*stram declines, regia salutis via relinquitur. Vix ergo hac tempestate nobilior quæstio, cuiusque magis generis humani interest, ventilari potest, quam : *An quædam in dogmatibus ad fidem Christianam spectantibus admittenda sit circa dissentientes TOLERANTIA? Et si sit, quousque ejus termini sint extendendi?*

Quanto fervore hæc caussa hinc inde in nostro orbe agitetur, & quomodo universam pene tantum non concutiat Britanniam, in propatulo est. Nostro Authori, Viro eruditissimo, qui Philosophiæ & Mathesios, quibus præcellit, studia quam feliciter Theologiæ ancillare faciat, diversis jam speciminibus ostendit, (a) idem volvendi saxum occasio subnata est

ex

(a) Debemus pietati & doctrinæ Cl. *Naudæi* opera sequentia

1. *Meditations saintes sur les dispositions interieures, qui peuvent rendre la paix de l'ame & la tranquillité de l'esprit constante & invariable.* Impressus est hic liber prima vice in Gallia, antequam venerandus noster Confessor religionis caussa inde exulavit 1681. auctior autem prodiit Berolini 1690. 8.

2. *Morale Evangelique* Berlin 1699. Tomi duo. 8.

3. *Gründe der Messkunst in einer neuen Ordnung vorgestellt und mit deutlichen und kurzen Beweissthümmern zum Gebrauch der Königl. Preuss. Fürsten und Ritter-Academie.* Berlin 1706. 8.

4. *De la souveraine perfection de Dieu* Amst. 1708. Tomi duo. 8.

5. *Recueil des objections, qui ont été faites jusques a present contre le Traitté de la souveraine perfection de Dieu, avec des Reponses.* Amst. 1709. 8.

6. Exa-

ex publicatione libri sub specioso involucro
 haut parum monstri alentis *Commentaire philo-
 sophique sur ces paroles de Jesus Christ, contrain les
 d' entrer : Ou traité de la tolerance universelle par
 Mr. Bayle.* Prima ejus editio studiis laudibus-
 que ingentibus vulgo accepta jam ante quatuor
 lustra Cl. Authorem ad ejus *refutationem* ad egit
 quam tamen nunc demum, ob editoris com-
 modi defectum, in lucem emittere potuit.
 Statuerat ab initio Cl. NAUDÆUS mathema-
 ticam in ea pertexenda sequi methodum.
 Sed

6. Examen de deux Traittez nouvellement mis au jour
 par Monsr. la Placette, avec une addition, ou l' on
 prouve contre *Spinoza*, que nous sommes libres.
 Amst. 1713. Tomi duo. 8.
7. Unpartheyische und gründliche Untersuchung der My-
 stischen Theologie. Zerbst 1713. 8.
8. Replique nécessaire a la reponse peu moderée de Mr.
 la Placette. Berlin 1714. 8.
9. Apologie de Mr. *Ostervvald* avec la Reponse de Mr.
Naudé. Berlin 1716. 8.
10. Les entretiens solitaires de *Guillaume Teelink*, avec
 une seconde partie ajoutée par Mr. Naudé. Berlin
 1717. 8.
11. Lettre contre le mensonge. Epistola hac Classis
 primæ fasciculum quartum pag. 518. sq. ornatum de-
 prehendes.

Latent præterea in scriniis Venerandi Senis & pro pu-
 riori religione vere Zelotæ *avêndoræ* diversa, quibus
 faventem Lucinam animitus adprecamur. Prælo præ-
 reliquis paratum est opus *sur la justification du pecheur
 devant Dieu*, quod avide nobiscum omnes boni exspe-
 ctabunt, quibus perspectum est, quas insidias nostra
 tempestate sacræ huic & unicæ salutis nostræ ancho-
 ræ infernus struat.

Sed mutavit consilium & antagonistam suum
κατὰ πόδα sequi maluit, ut ejus sophisti-
 cationes ad palliandam *tolerantiam universalem*,
 quam alii *Indifferentismum* appellitant, eo evi-
 dentius in apricum produceret. Ita vero
 procedit, ut una opera periculosa ratiocinia
Cl. Bælii in aliis quoque ejus opusculis circa
 eandem rem dispersa enervet.

Cum igitur opus *Bælianum* quatuor absol-
 vatur partibus, binis prioribus refellendis
 Tomus Authoris nostri prior, posterioribus
 vero alter destinatus est. Prior Tomus ite-
 rum bipartitus est. Pars prima fundamenta
 structuræ *Bælianæ* subruit. Cap. 1. postquam
 monitum est, *Bælium* mutila usum esse metho-
 do, nec suam opinionem probasse, sed in
 destruenda tantum sententia adversa totum
 esse, solide commonstratur, quam inique *Bæ-*
lius egerit, quod Theologiam Philosophiæ
 ancillantem reddiderit, cum illa potius pro
 Regina, hæc pro famula sit habenda. Cap.
 2. impugnatur dictum *Bælii*, tanquam con-
 tradictorium, quo adseruerat, si scriptura
 sensu literali præcepisset: *Coge eos ad intran-*
dum, quod tum ideas æqui & iniqui confu-
 disse. Docetur enim, in supremi Legislato-
 ris positum fuisse arbitrio, an aliquam coactio-
 nem in caussa religionis præscribere voluisset?
 Quod si factum fuisset, obedientiam ei procul-
 dubio fuisse præstandam; omnem enim no-
 stram virtutem & justitiam obedientia volun-
 tatis

tatis divinæ evidenter patefactæ absolvi. Eam in rem adducuntur exempla everfionis populorum Canaanis, exciforum Amalekitarum, immolationis Ifaaci, Abrahamo injunctæ &c.

Sequentia duo capita cum primis attente merentur legi. Observave at enim Cl. Author, Bælianarum fallaciarum radicem potiffimam effe erroneum *de conscientia humana* conceptum. Ingenue fatetur, eadem heic *Bælium* cum plerisque superiori tempeftate Theologis oberrare chorda, & quod illi minus recte in hac cauffa ftatuerunt, in ufum fuum convertiffe. Quare veram ante omnia de *indole conscientie* ideam excitare fatagit, & de Theologorum Cel. Cocceji fcholam fequentium confenfu, cujus tamen, cum hæc in chartam daret, ignarus plane erat, fibi impenfe gratulatur.

Omnis in controverfia de *conscientia* difficultas inde nascitur, quod, cum notio illius fit fimplex & univoca, diftinguatur in *conscientiam illuminatam & erroneam*. Hoc pacto eadem voce interdum res veneranda & præcellens, interdum vero res averfione digniffima exprimitur. Hinc omnes lacrymæ. Vocis ipfius ratio abunde docet, *conscientiam* denotare *scientiam*, quam habemus cum aliis, hominibus, Deo, nobis ipsis communem. Æque ergo absurdum eft, dicere *conscientiam erroneam*, ac dicere *scientiam erroneam* five *veritatem falſam & lumen tenebricoſum*. Quantum enim

enim veritas distat a mendacio, tantum inter *scientiam* & *errorem* discrimen obtinet. Authorem nostrum si audimus, *conscientia* est facultas, per quam homo in mentis suæ sinu cognoscit veritates certas & indubitatas concernentes *verum* & *falsum*, *bonum* & *malum*, *justum* & *injustum*; adeoque reapse non differt ab ipsa *scientia*. Idea ergo conscientiæ, tria involvit: 1) quod sit lumen sive scientia rei certæ & veræ: 2) quod lumen istud natura omnibus hominibus sit commune: 3) & consequenter, quod lumen istud maximi sit æstimandum, quodque neglectus ejus nefandi criminis loco sit habendus.

Hinc derivatur, *conscientiam* non involvere persuasionem de dogmatibus huic illive privis, etiamsi veris; sed tantum de principiis moralibus, in quæ genus humanum consentit, quæque *luminis naturalis* nomine venire solent. Cum vero ex his principiis aliæ quoque veritates rite deducantur, illæ quoque in sensu latiore *conscientia* dici possunt, quia cum ipsis principiis convenire atque ex illis necessario fluere deprehenduntur: prorsus ut *theoremata* geometricum evidenter demonstratum & ex axiomatibus irrefragabilibus deductum ipsum quoque naturam & auctoritatem *axiomatis* nanciscitur.

Rejiciendi ergo, qui conscientiam describunt esse *persuasionem seu judicium quaecunque de rebus ad cultum divinum normam vitæ & spem salutis*

lutis spectantibus, etiamsi veritati & lumini conscientie a nobis descriptæ contrarietur. Talis enim conceptus attributis, quæ idea conscientie involvit, directe adversatur, uti Cl. Author latius probat.

Quod si quis *criterium* exigat, ex quo indubitato colligere integrum sit, quid conscientia nobis dicat, aut quid ex iudicio præoccupato, præcipitateve fluat, rem eum & *inutilem* & *impossibilem* exigere certum est. *Criterium* tale esset *inutile*, quia veritates, quæ per conscientiam deprehenduntur, suo lumine abunde fulgent. *Impossibile* quoque & *absurdum* esset, quia dato criterio, postulari statim posset aliud, unde ejus certitudo agnosceretur, & sic in infinitum: quo pacto omnis certitudo ex universo mundo proscriberetur.

Sequitur ergo *conscientiam* hominis, nedum ipsorum *Demonum*, nec fallere nec falli posse, quod variis demonstratur argumentis. *Conscientiam* enim esse ipsam illam scientiam, quam cum Deo habemus communem, nulli ergo errori esse obnoxiam, ut nec ipse Deus est. In scripturis eam dici *lampada Jehovæ*, *conscientiam Dei*, *testem*, *judicem*, atque in eo vicem Dei gerere, quod in propria causa simul *testis* & *judex* sit. Si omnes homines possent aut vellent mentiri, impossibile tamen esse, ut conscientia mentiatur. In hac veritate omnia hortamina ad scrutinium cordis sui fundari, quia nisi conscientia esset infallibilis in dictando quid

quid sit æquum & iniquum, omne sui examen incertum esset. Quin confessio, convictio, iudicium omne humanum & divinum tolleretur.

Nec juvat objectio, *facultates animæ nostræ per lapsum esse corruptas, adeoque & conscientiam.* Nam quamvis sint corruptæ, non tamen sunt annihilatæ. Annihilatæ autem essent, si sublata esset *conscientia*, seu quod synonymum est, veri certique qualiscunque scientia. Per peccatum intellectus eatenus est obtenebratus, ut veritates videat obscurius, voluntas eatenus est corrupta, ut perverse iudicet; sed animam statuere, quæ nihil sciat, nihilque velit, contradictorium est. Utcunque labem anima universa contraxit, mansere tamen pristinae perfectionis reliquiæ, absque quibus Deus postliminio ei se manifestare & ad agnitionem veritatum salutarium eandem reducere non potuisset. Hæ vero reliquiæ cum ipsa sint, quam propugnamus, *conscientia*, absque ea nulla Dei manifestatio in gratia locum habuisset, adeoque omnis salutis spes desperiisset.

Cæterum studiose discernuntur illi, quorum conscientia cultui veri Dei unice est dicata, quique doctrinas salutis fundamentales recipiunt, ab *idololâtris* falsis Diis servientibus, & *hereticis*, doctrinas gloriæ Dei & salutis animarum contrarias sectantibus. Posteriores cum sint extra communionem Dei & cultores

res dæmonis 1. Cor. X. 20. falsæ eorum persuasiones nequeunt dici *conscientia*, quia id, quod ita appellant, revera non Dei sed dæmonis tribunal est. Quare, qui secundum has persuasiones agunt, nullatenus censendi sunt Deo, ejusque vicario, conscientiæ obedire, sed dæmoni. Et quando contrariantur eis in actionibus suis, nullatenus censendi sunt Deum, sed dæmonem lædere. Unde iis, qui secundum has persuasiones procedunt, ab ipsis prophetis illuditur. Cujus rei exemplum est in Sacerdotibus Baaliticis 1. Reg. XVIII. 27. Et recte Prosper Sent. 106. pronunciauit: *Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil est bonum sine summo bono, ubi enim deest agnitio æterna & immutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus.* Priores vero, veri Dei cultores, si vel in re minima contra persuasiones mentis suæ agant, Deum verum lædunt. Quod si eorum persuasiones, secundum quas procedunt, sint erroneæ, etiam tum a læsione Dei non sunt liberi, quamvis actio eorum non tam *crimen*, quam *error* sit dicendus. Cum enim conscientia proprie & immediate tantum principia generalia veri & falsi, boni & mali, justi & injusti dictet, non vero veritates & actiones speciales, sequitur, quod qui peccat contra regulas speciales, directe non peccet contra conscientiam, sed tantum per consequentiam. Adeoque id potest fieri absque læsione conscientiæ. Verbi
 causa,

caussa, si uxor ab adultero contaminetur, per ignorantiam invincibilem eum maritum suum esse existimans. Interea tamen peccatur contra Deum, & ipsa conscientia dictat, ut erroris talis veniam humili deprecatione apud Deum quæramus. Quod probatur ex Ps. XIX. 13. ex sacrificiis pro peccatis per ignorantiam commissis, ex asyris homicidio involuntario destinatis, & ex petitione quotidie, etiam cum nullorum præcise novorum delictorum adest memoria, repetenda: *remitte nobis debita nostra.*

Colophonis loco observatur, scripturam nunquam loqui de *conscientia errante*, sed tantum de *polluta*, *debili*, *cauteriata*, *bona*, *pura*, *sanctificata*, *consummata*, istasque denominationes nunquam *subjective* esse intelligendas: unam ergo tantum supponere conscientiam, quæ *mala*, *polluta* &c. dicitur, quando de vitio convincit, ipsa vitii expers.

Cap. V. Evincitur *tolerantiam illimitatam* Indifferentium & principia, ex quibus illa deducitur, æque obstare conversioni infidelium, ac crudelem & *inexcusabilem intolerantiam* ecclesiæ Romanæ. Cumque *Bælius* asseruerit, coactionem conscientiæ & cultum hypocriticum inde nascentem atrocissima esse crimina, contra illum defenditur, coactas Dei veri laudes gloriæ ejus ac piorum ædificationi non tantum officere, quantum blasphemiam, ad quas connivetur. Cap. VI. debellatur argumentum,

quod Bælius contra leges *intolerantiæ*, etiam *moderate*, struxerat, venditans earum executionem non posse non cum variis criminibus esse conjunctam. Contra quod notatur, culpam non in legibus sed in hominibus esse, quibus earum vindicatio est demandata, & eodem argumento omne justitiæ vindicativæ inter homines exercitium posse impugnari. Leges quas Author heic supponit, quasque infra Parte 2. c. 2. p. 201. sq. distinctius proponit, eo recidunt, ut hæreticis postquam docendo hortandoque opera in iis convertendis frustra infumta est, a Magistratu orthodoxo errorum suorum publica professio inhibeatur, si contra veniant, exilio aut carcere multentur. Cap. VII. monstratur tolerantiam illimitatam ex Ecclesia Christiana a primis ejus cunabulis proscripam fuisse: docuisse quidem Patres, neminem cogendum esse ad amplectendam hanc illamque religionem, quod & Protestantes agnoscunt, nusquam vero probasse ut libera errorum blasphemorum professio & propagatio hæreticis indulgeretur, sed potius eorum impudentiam disciplina ecclesiastica coërcuisse. In fine capitis Bælio asserenti, *Spiritum persecutionis magis inter orthodoxos quam hæreticos dominatum exercuisse*, contradictionem exprobrat. Nam secundum ejus hypothesin nulla fides est magis salutaris, adeoque & *orthodoxa*, quam illa, quæ limites tolerantia latissime extendit. Nullam igitur sectam magis

ad Christianismum verum appropinquare, quam Socinianos & Quakeros, utpote qui nunquam alios persecuti sunt, & illimitatam tolerantiam urgent. Nam reliquæ omnes, ne ipsis quidem Arminii affectis exceptis, ubi copia iis facta est, persecutionis œstro secundum *Belium* sunt percitæ. Sed noster de ipsis Socini & Foxi sequacibus iudicium suspendendum eousque existimat, donec ipsi aliquando rerum potiantur: nunc enim illos tolerantiam urgere, quia ea ad propriam securitatem maximopere indigent. Cap. VIII. asseritur rationem non esse normam religionis: & multo minus pro ea agnoscendas esse ratiocinationunculas Authori privas, quæ pontificiam tyrannidem, non vero moderatiora Protestantium consilia feriunt. Caput IX. & ultimum singularem meretur attentionem, quia palmarium Indifferentismi sophisma examinat, quo objicitur Orthodoxis, eos *petitionem principii* committere, dum veræ religioni jus attribuunt contra hæresin se defendendi, ejusque propagationem impediendi, quia falsa religio ipsa quoque præsumtionem veritatis habet. Unde sequi, quod falsa religio idem jus sibi in veram vindicare possit, quod hæc in illam prætendit. Perennem ita odiorum & persecutionum aperiri fontem. Melius itaque humano generi consuli, si unicuique permittatur plena sentiendi atque animi sensa in causa religionis proferendi libertate frui. Vitio hujus ratiocinationis detecto, consilii inde elicitum

iniquitas demonstratur. Nam etiam si vera religio tolerantiam universalem admitteret, nunquam tamen hæreses eadem lege se constringi paterentur. Moderatio nostra exempli causa, Pontificiorum tyrannidi nihil hætenus derogavit. Porro leges, quas Ecclesia nostra sibi figit, ita sunt compositæ, ut si unanimi consensu reciperentur, nullum inde veritati detrimentum extimescendum sit. Divino enim illa induta est robore, quod nullavi humana retundi potest. Denique, incommodum, quod potissimum exaggeratur tanquam horrendum, quodque solum omnium tolerantia limitum destructionem secundum *Belium* efflagitat, nemini horrendum est, nisi formidolosis & veritatis proditoribus. Incommodum enim illud ex ipsa rei natura sequitur. Veritas & mendacium duo sunt monarchæ sibi invicem necessario semper contrarii. Quamdiu hi duo jurati hostes simul in mundo consistunt, inimicitiarum finis esse nequit. Quare ipse Salvator testatus est, se venisse, non ut pacem mundo immitteret, sed gladium &c.

Pars secunda prioris tomæ opposita est libro II. *Belii*, in quo ille objectiones varias contra *tolerantiam absolutam* elidere conatus erat. Cum autem illæ magnam partem in *Beliano* ingenio effectæ sint, nec tam ad Protestantium, quam Pontificiorum arma spectent, absque causæ nostræ detrimento examen earum Cl. Author præ-

prætermittere potuisset, nisi omnia Bælianæ
sophisticationis latibula excutere ei adlubuis-
set. Intermixtæ tamen hinc inde sunt discus-
siones maximi momenti. Sic p. 185. inquiri-
tur, quid sit *obstinatio*, quæ hæreticum quam
maxime culpabilem facit, nempe non, quod
prætendit *Bælius*, perseverantia in errore, de
quo quis in conscientia sua convictus est: illa
enim magis *malitia*, quam *obstinatio* dici me-
retur. E contrario *obstinatio* involvit, ut quis
errorem suum veritati esse consentaneum opi-
netur, etiamsi falsitas ejus facili opera ab homi-
ne probo & præjudiciis libero detegi queat. p.
214. sq. differitur de *legibus*, quas Deus sub V.
T. contra seductores & idololatrias, præcipue
Deut. XIII. scivit. p. 249. 250. moderatum de
caussa *Serveti* judicium fertur & consultius fuis-
se ducitur, si ad perpetuos carceres damna-
tus fuisset, quamvis adversarii nimia invidia
processum contra ipsum onerent, cum negari
nequeat, supplicium de eo sumtum cum pœ-
na seductoribus in Deuteronomio statuta con-
venire. p. 393. sq. solvuntur difficultates, quæ
ex statu hominis corrupto & naturali ejus in-
discernendis veritatibus cœcitate contra ob-
ligationem ejus nequi possunt. p. 399. errores
Bælii circa doctrinam de *peccato originali* ex-
cutiuntur.

Tomus alter Authoris nostri incipit a crisi
partis tertiæ *Commentarii Philosophici*, in qua *Bæ-
lius* duas *D. Augustini* literas tolerantia hæreti-

corum illimitatæ contrarias examini subjece-
rat. Brevis in examinis hujus refutatione est
Cl. *Naudæus*, quia dogmata Reformatæ Eccle-
siæ ab hypothefibus Præfulis Hipponensis haut
parum differunt. Quare in iis tantum, in qui-
bus *Augustino* injuriam a censore illatam existi-
mat, eum vindicat. Arrident heic inter alia,
quæ p. 20. de jure creaturarum reapse fidelibus
solis competente afferuntur.

Latius vero vela ingenii sui *Naudæus* expli-
cat in parte quarta ejusdem operis, quæ *Sup-
plementum* inscribitur, funditus refellenda. In-
cipit ergo p. 43. sq. ab excussione præfationis,
in qua *Bælius* profanitatem hypothesium sua-
rum specie quadam religionis incrustare an-
nifus erat, quæ ita detergitur, ut simul quædam
de rebus maximi momenti disquisitiones im-
miscantur. Sic p. 54. sq. differitur de *ignorantia
invincibili*, & examinatur, quousque admit-
ti possit, *ignorantiam invincibilem tam in jure, quam
in facto, excusare, & veritatem nullum jus habere,
nisi in quantum revelata & annuntiata est.* Solli-
cite hic cavendum, ne asserta hæc nimis extra
cancellos suos extendantur. Ea fini supponen-
dum, hominem non tantum nasci in statu da-
mnabili sed etiam corrupto, laborantem im-
potentia vitiosa implendi Legem moralem.
Hæc tamen impotentia non tollit obligatio-
nem ad perfectam legis obedientiam, & ad
pœnam in ea sancitam, quando quis legi inobe-
diens est. Si enim per peccatum vinculum
hoc

hoc sublatum esset, sequeretur nulla deinceps alia lege peccatorem, nisi libere consentiret, constringi posse: sequeretur itidem hominem non nisi unum peccatum, in prima scilicet transgressione, committere posse. Cessante enim obligatione cessat peccatum. His suppositis certum est, thesin illam: *ignorantia invincibilis excusat*, relate ad legem moralem esse falsissimam. Cum enim homo ad obedientiam hujus legis per naturam obstrictus sit, eandem sine peccato ignorare nequit. Et hac de causa Salvator noster servum, qui Domini voluntatem ignorat, non plane innocentem sed pauciorum tantum plagarum reum pronunciat. Quod vero attinet ignorantiam Religionis Christianæ, seu unicæ ad salutem viæ, quæ revelationem divinam requirit, negari nequit illam aliquatenus excusare. Non enim pœnam damnationis æternæ meretur, qui veritatem non revelatam ignorat & gratiam non oblatam recipere supersedet. Si autem ignorantia hujus generis nequit damnare, multo minus poterit salvare. Peccator jam ex alio titulo, ob peccatum scilicet originale, & mille actuales legis transgressiones condemnationis reus est. Et quamvis illa ignorantia per se non sit crimen, catenæ tamen instar est, qua peccator miseriæ suæ innexus hæret, & unicam salutis viam inflectere præpeditur. Æque solida sunt, quæ p. 61. sq. de articulis fundamentalibus, & p. 72. sq. de vero controversiarum judice differuntur. His

His præmissis ad singula Bæliani supplementi capita Noster respondet, omniaque ejus effugia sub incudem vocat, quod quam dextre præstitum sit, deprehendet, qui utriusque libri collationem instituet. Veritatis prærogativæ præ errore, cujus utriusque jura Bælius ubique confundit, liquido ostenduntur. Scepticismo ejusdem ubique larva detrahitur. Sic exempli causa c. XII. p. 247. temerarium ejus adsertum refutatur, quo negaverat hæreticum esse dicendum, qui in errores fundamentales religionis Christianæ impingit. C. XIV. conatus ejusdem, ut mysteria sanctissimæ nostræ religionis præcipue de SS. Trinitate & Gratia contemptui exponeret, in apricum producit, simulque opera datur, ut cum dictamine rectæ rationis eadem concilientur. In fine hujus capituli a Cl. Authore promittitur refutatio libri anguem sub herba occultantis: *Quelle Religion Chrestienne est tres raisonnable*, cujus scriptorem Lockium esse constat. Caput XV. & sequentia destinata sunt quæstionis ponderosissimæ enucleationi: *an & quousque error peccatum sit?*

Ex his speciminibus facile perspicitur, quam attentam lectionem seculo nostro in Indifferentissimum abominabilem vergente liber noster commereatur. Certum tamen est, non minus Ecclesiæ nostræ ab iis periculum imminere, qui spiritu Anti-Christiano acti prophetandi libertatem constringunt, hæreseosque aut saltem heterodoxias notam levissima sæpe

pe de caussa fratribus inurunt, fundamentales
fidei nostræ articulos pro lubitu adaugent, at-
que hoc pacto auream Ecclesiæ pacem omnia-
que *Φιλαδέλφιας* jura proculcant, idque ea tem-
pestate, qua imminens ab ingravescente Pa-
patu periculum fissuras Zionis hiantes, quan-
tum in nobis est, compingere suadet. F. A. L.



VIII.

Viro plurim. Rever. fide-
lissim. in Ecclesia Bremensi
J. Chr. Servo

THEOD. HASAEO,

S. P. D. * * * *

Perspecta mihi non tantum humanitas
tua, sed præsertim egregium opus *Bi-
bliotheca Historico-Philologico-Theologica*
(quam conjuncta cum Doctiss. Dno.
Collega tuo opera procuras) ut has ad
Te litteras dem mihi animum addidit. Cogno-
vi enim Te in illa libentissime ea inferre, quæ
aut rem litterariam juvare, aut quo maxima
orbis Christiani pars in Religionem animo fe-
ratur, indicare valeant. In animum itaque
induxi tentare, dignumne Tibi videretur rem
cum

cum orbe litterato communicare, meo quidem iudicio perraram & insolentem, imò
 Φόβινος σπαινώτερον. Quid his velim statim
 aperiam:

Quum paucis abhinc septimanis ex diuturno satis itinere domum redux essem factus, & Bibliopolæ Humberti officinam pro more ingressus, quid novi veniret, oculis perlustrarem; incidi forte in librum cui præfixus erat titulus: *Refutation du Commentaire Philosophique ou Solution Generale & renversement, de tous les Sophismes que l'auteur y employe a dessein d'etabir en tous lieux une tolerance sans bornes pour l'exercice public de toutes les erreurs & les heresies dont l'Esprit humain peut etre capable &c.* Utut autem in Baylii *Commentario Philosophico* multa sese mihi obtulissent, quæ ut parum pie dicta Libertinismum saperent, non tamen eram nescius oppido multos hunc librum inter doctiores sibi conciliaffe fautores; ac Patronos eosque potentissimos & ferventissimos. Id vero quo magis noram, eo quoque magis illum, qui mihi obversabatur, titulum mirabar, qui non tantum vanitatis Baylium insimularet, quasi ludificando lectori sophismatibus illuserit; sed etiam delitescentes sophismatum illorum captiones in apricum producere, falsitatem argumentis revincere, totiusque adeo operis fundamenta subruere conaretur. Videbatur ille mihi *cornicum*, ut ajunt, *oculos velle configere*, qui fucum & tenebras illic deprehendisse

disse gloriaretur ubi eruditorum perspicacissimi & oculatissimi nil tale quicquam viderant. Nimis mihi confidens & fere temerarius videbatur, qui cum omnes taceant solus inclamaret, quodque omnes velut firmum ac stabile approbent, solus sollicitare imo rescindere ac convellere minitaretur. Novitatem ergo intentatæ rei miratus, proœmium uno quasi halitu perlegi; illudque non diffiteor me non minus ut totum opus perlegerem movit, quam ad proœmium cursim pertranseundum moverat titulus: Refert quippe libri hujus originem & fata pluribus circumstantiis notatu dignis ornata, more ita simplici & ingenuo (quia fingendi tempus sibi non sumit) ut magnam legentibus operis pervidendi expectationem creet. Eodem plane modo sinceritatem persuadente differit de effectu lectionis ejusdem in animos Virorum in Republ. litteraria magni nominis: qui effectus tales extitere ut non obstante magna, quam præceperant de Baylio opinione, non obstante præconcepto de invicta *Comment. Philosophici* argumentorum soliditate, judicio; nihilominus animadverso, quod in illis latebat veneno, de sententia moti, pedem illicò retulerint

Improvissum aspris, veluti, qui sentibus anguem

Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit.

His ita ut dixi omnibus permotus librum mihi comparavi, summaque illum cum attentione nec minori cum delectatione perlegi totum.

tum. Equidem rerum gravitati, eloquii lenocinia non aspersit, nec enim (quod ex aliis ejusdem auctoris operibus apparet) τὰς μυσταῖς τὰς χόρπιδας συγκαταμινύειν multum laborat; sed pensitato utrinque, ut oportuit, argumentorum pondere

Egomet continuo mecum: certe captus est:

Habet. Peractum est. Quas peto pœnas dedit Baylius. Titulo enim, mea certe sententia, satisfecit Naudæus, promissis stetit, meque spes plane tenet veritatem, quam suo hoc opere assertam dedit, mendacio & impietati olim prævalituram, & pestilentem illam Religionum quarumvis ἀδιαφορίαν quam Baylii Commentarium intulisse & eruditorum non paucis instillasse ac persuasisse nimis certum est, ex hominum mentibus Naudæi argumentis eradicatam tandem aliquando penitus interituram.

Quid ergo hic monstri simile; quæris? quodnam id est quod initio dicebas ita rarum esse ut fere, quod Populus Romanus super Ventidio Basso ex mulione Consule creato exclamaveris

Portentum inusitatum conflatum est recens?

Hactenus equidem non vides; Sed accipere liqua: Ut ex Bibliopola intellexi in octavum jam mensem liber hic apud Humbertum, nec apud quenquam alium his in oris venalis fuit expositus, per nova publica (Gazettes) & alias ephemerides jamdudum publice innotuit titulus, nec tamen præter me ullus quisquam
sibi

sibi illum adhuc comparavit. Id vero est quod ego mirari satis non possum: Hoc illud est quod qui fieri possit non equidem video. Hanc certe in emendo hoc libro parsimoni-
am, si quis cum hodierna rerum novarum cognoscendarum curiositate componeret, me in sui admirationem tantopere raperet, quam si quod Horatius deliri & amentis id ille sapientis & frugi hominis esse demon-
stret:

Ut quis emat citharas emptas comportet in unum

Nec studio citharæ nec Musa deditus ulli:

Si scalpra & formas non sutor: nautica vela

Aversus mercaturis:

ego certe lubens fateor; *Sambucam citius caloni aptaverim* quam hæc quomodo cohæreant ostenderim.

Dispiciamus animi gratia causas, ex quibus causis hæc tam singularis tam ab communi sensu & usu aliena agendi ratio ortum ducere queat; quamque illæ momentosæ sint & graves æstimemus. Mea certo sententia (quod *ὡς ἐν περίδω* dictum sit) idem illud quod aliorum librorum famæ obfuit hujus famam promovebit. Quamque existimationem libri alii, ex eo, quod eorum multo maximus parvo tempore numerus distractus sit, sunt consecuti, eandem hic quoque, de quo loquimur ubi primum quid valeat innotuerit, ea de causa consequetur quod initio *ἐπ' ὀλίγον* non venditus delituerit.

Primo quidem si ejus auctor (qui Naudæus est Matheſeos Berolini Profefſor) vel ob ſcripta quædam Magiam ſive Atheiſmum docentia famoſus, vel ob hujusmodi alia quædam odio publico dignus & onuſtus foret, tum certe quid cauſæ ſit, cur hic quoque ejus liber non veneat, non hæſitarem; ſaltem cur ab hominibus vere piis non emeretur non obſcura ratio eſſet; quanquam, ut nunc mutata in pejus ſunt tempora, ut nunc & veritatis amor refrixit & Libertiſmus contra invaluit plurimi in illum tunc quoque, avidiſſime involarent. Jam vero neminem qui auctoris noſtri Naudæi ſcripta vel leviſſime delibaverit, latere poteſt, eum in id ſolum incumbere, in eo totum eſſe, id unice agere & intendere ut & Dei timor promoveatur & verbo Dei ſua conſtet auctoritas & pietas in hominum cordibus augeatur & veritatis jura, ſarta, tecta, & illibata ſerventur. Idque in hoc potiffimum ultimo ſuo libro abunde præſtitit. Itaque cum illius, quem refutat Commentarii Philoſophici tanta tantum non apud omnes gratia ſit, tanta ſit exiſtimatio, resque contineat ſummi in Theologia & momenti & ponderis, quæque res novas videnti ſtudium acuere & incendere tantum valeant quam quæ maxime; neceſſario aut nullus nobis in Belgio ſuperest vir rerum divinarum amans, veritatis cupidus, qui que eruditionem cum

Vera

vera & sincera pietate conjungat (quod dici omnino non potest) aut ego qui tam tardus adveni primus emtor non extiti (attamen revera primus fui) quis tantas *ἐναντιωλογίας* conciliet!

At enim dicat quis , stilo utitur Naudæus parum terfo & limato immò & horrido nonnunquam , ut subacti judicii lectoribus nauseam creet, quantumvis itaque, si res respicias, digna legi scribat, nemo tamen est quin, cum possit, fastidia vitet.

O curas hominum ! O quantum est in rebus inane ! Itane igitur qui scite & polite loquitur ut nugas deblateret ac effutiat, præferendus erit ei qui veritates æternam hominum salutem respicientes pandit, quia id scilicet facit oratione paulo minus compta & ornata? Itane nunc temporis in Belgio nostro nemo doctus, nemo Theologus reperitur, qui non elegantiam dictionis & verborum volubilitatem pluris habeat quam Doctrinam Dei summi gloriam illustrantem & a temerariis adversariorum incursum masculule vindicantem? Deus omen avertat! Id certe nemo dixerit. Et quanquam libri ego non tam patrocinium susceperim, quam quod non vendatur miraculi causas investigare fategerim; id tamen hætenus fecisse nolim, ut tam funestas & Belgio nostro & Ecclesiæ Dei causas scrutando ominarer. Sunt sunt sane inter nos Viri & vere pii, & veritatis amantes, qui & utilia jucundis, & vera infucatis, & jus
Bbb 2
Dei

Dei asserentia , iis præferant , quæ puriori licet & castigatori sermone conscripta , minoris tamen ponderis & momenti argumenta persequuntur. Unde ergo usque adhuc libri hujus ego solus emptor ? Sphynxis ænigma , cui solvendo me imparem fateor : *Davus sum non Oedipus.*

Prioribus etiam operibus suis , ajunt , hominum animos a se alienos reddidit ; præoccupatos itaque librum hunc non requirere nemo indignetur. Egregiam vero ratiunculam ! Qui in causa aliqua judex sedeat , si præjudiciis occupatus reum inauditum condemnet , nonne dupliciter peccat ? Quod primo præjudiciis facilem nimis aurem commodarit ; dein quod anticipatis opinionibus obsecutus inauditum damnarit ? Jurene an injuria ab Naudæi scriptis alienati fuerint homines aliis dijudicandum relinquo. Verum in præcedaneis propugnarit anne falsum nunc non disputo nec litem ego hanc meam facio. Id tantum dico idque nemo inficiabitur illum adversariis , quos , omnium consensu & potentissimos & doctissimos nactus est , tantum , argumentorum suorum & numero & pondere , negotii faceffivisse , ut , quo se verterent , sæpissime nescierint. Idque ut mihi quidem videtur tanti est , ut cujuscunque etiam partis homines pellicere debuerit , ad librum hunc Naudæi ultimum , cujus tantum tamque grave ac momentosum est argumentum , attente perlegen-

legendum. Me certe quem hæc inter Theog-
 gos agitata disceptationes proprie non tan-
 gunt, qui extra telorum jactum achivos, ut
 ajunt, a turre judicare possem; me inquam
 attonitum diu tenuit, summa illa Baylii asse-
 clarum securitas, nec conjectura assequi va-
 lebam, quid causæ sit, cur dum in illum, quem
 tantopere & venerantur & suspiciunt, tantus
 telorum imber ingruat, illorum quisque, ut
 Martialis loquitur in sua se pellicula tranquil-
 lus contineat, nec quanta Heroi suo vulnera
 figantur, videre ullus curet. Certe aut illum
 velut alterum Achillem invulnerabilem exi-
 stimant, aut ipsi, damis timidiores, certamen
 detrectant, & imbrem illum fugiunt

-- -- *Velut effusa si quando grandine nimbi*

Præcipitant, omnis campis diffugit arator

Omnis & agricola.

Aut inquam nostri hic in Belgio eruditi, de
 Commentarii Philosophici invicta soliditate,
 præstantia & doctrinæ in illo contentæ excel-
 lentia, æque sunt persuasi, ac Judæi de Thal-
 mudis sui auctoritate; ita ut Commentarii
 hanc Refutationem, æque parum legere ac
 probare vel velint vel queant, ac Judæi Novum
 Testam., quod *cane pejus & angue vitant &*
oderunt, adeo Sanctissimo hoc volumine ni-
 hil, vel magis falsum, vel perniciosum esse,
 existimant. Aut forte, quantopere Judæi,
 ne Novi Test. lectione seducantur, timent,
 ita hi nostri eruditi, ne si Refutationem hanc

legerent, pervertantur reformidant, præsertim cum ejus auctorem invisâ illis *ὁρδοξίας* paulo rigidioris notâ gloriari norint: Hinc collatis quasi votis, unanimi consensu, decretum, ut ne ullus quisquam librum illum emat, si qua forte, antequam innotescat possit exterminari. Sed hoc qui arguat, universos simul in Belgio litteratos accuset necesse est, aut detestandæ a veritate defectionis (quod dictu impium) aut summæ ignaviæ, timiditatis & vecordiæ. Quod qui de omnibus affirmet, amens sit. Quid enim! universi quotquot hic sunt eruditi, nemine excepto, Naudæi refutationem legere extimescunt; Commentarium Philosophicum ipsum legere non sunt veriti, qui tamen totus ad fallendum est compositus & veneno infectus pestilentissimo: Quod venenum autor ejus Baylius (ut homo erat doctus, acutus ac versipellis, qui munditiâ sermonis & eloquii nitore gratus, dicendi ubertate & eloquentiæ suæ fluvio cum summa ingenii & astutia & calliditate conjuncto, plurimum posset) fucis ac pigmentis ita occultavit ut sine ullis salebris, sine ullâ asperitate influat in animos legentium, qui dum sermonis delicias sectantur, virus hauriunt. Baylii hominis vaferrimi fraudes & corruptelas nemo timet: Naudæum contra omnes fugiunt? Naudæum? hominem integrum, ingenuum, omnis fraudis expertem, imò fere rudem, qui nec Gymnasium unquam, nec Aca-
demi-

dēmiam, nisi ut doceat, ingressus est, quique quodcunque scit, sibi uni id omne suæque propriæ & industriæ & lectioni debet? hunc inquam pavent, averfantur?

*Nunc & oves ultro fugiat lupus : aurea dura
Mala ferant quercus : narcisso floreat alnus :
Pinguia corticibus sudent electra myrica : &
Omnia natura præpostera legibus errent.*

Unde ergo hic tam repentinus, intempestivus, imò ridiculus illis metus supervenit? quid timent? quid reformidant? ne veritatem videant? impium est. Ne parum concinnè scripta legendo fatigentur? eâ autem de causa, ubi veritatem reperire speres quicquam vel prætermittere vel averfari, & impii & ignavi est. Itaque quam hujus rei causam esse potissimum dicam, ignoro: quoque magis omnia mecum revolveo eo magis turbor rei miraculo & insolentia. Quod vero superius dixi, repeto: Nullus dubito quin cum quanti hoc Naudæi perfectissimum opus pretii sit, litterato orbi notum fuerit (quod dubio procul cito fiet) tum vero iis, qui hanc de qua loquimur, quæque vix concipi potest circumstantiam pensitabunt, eo pluris sit. Atque ita quod aliorum librorum æstimationem elevare solet (si nempe pauci veneant) hujus olim valorem augeat. Hæc fere sunt Vir Clarissime quæ super hac re tecum & (si lubeat) cum orbe litterato volui communicare. Tu vero quin idem mecum sentias vix dubito.

Cæterum utrum hoc quisquam ænigma solvere possit experiri, tam gratum mihi foret, quam quod gratissimum. Vale! Dabam Amstelodami 17. Cal. Apr. 1719.



IX.

MOSES EVANGELIZANS, seu explicatio Allegorico - Prophetica historiarum Mosaicarum complurium atque insignium, qua doctrina & Oeconomia Evangelica, fasciis Historiarum illarum involuta, ex circumstantiarum omnium singularumque dictionum sinibus & plicis minutatim evolvitur. Auctore HERMANNO DEUSINGIO J. U. D. & Theol. Traj. ad Rhen. 1719. 4. Demtis Præfatione & indice constat pag. 718.

Amplissimus Author, qui posthabitis Themidos, quibus olim initiatus erat sacris, optimam maximamque vitæ suæ partem studio scripturario & præcipue allegorico ac mystico ejus sensui eruendo impendit, novum diligentia suæ in opere hoc, quod annunciamus, fructum *cunctis verbi Θεοπνεύστου studiosis scrutatoribus* indulsit & dicavit. In præfatione utiliter

ter quædam præmisit, quæ talium curarum fastidium, quo nimis multi laborant, aut eximere aut saltem extenuare possunt. Præcipue obviam eundum illis putavit, qui cum *Augustino* quasdam quidem historias sacras allegoricas esse fatentur, at omnes pro talibus habere temeritatis vel audaciæ insimulant. Modeste quidem, se non omnia, quæ in medium est allaturus, pro certis & indubitatis venditare, pronuntiat. Confutat tamen illos, qui censent in his illicitum esse quicquam tentare atque in apertum proferre, nisi de ejus veritate certus sis & indubius.

Totum opus XXVIII. constat sectionibus, quarum lemmata heic tantum exhibemus, ut Lectoris in iis evolvendis desiderium acuamus. Habentur igitur hic allegoricæ explanationes I. Filiorum Noachi, divisionis gentium, turris Babylonicæ II. Promissionum Abrahami Gen. XV. præmissa exegesi victoriæ Abrahami & benedictionis ejus a Melchisedeco receptæ III. Hagaris IV. Nominum Abrahami & Saræ atque institutæ circumcissionis V. Jehovæ Abrahamo apparentis VI. Excidii Pentapolitani Gen. XIX. VII. Filiarum Loti, ubi obiter intextæ sunt allegoriæ Ehudi & Eglonis, Jephthæ & Ammonitarum; Balaci & Bileami. VIII. IX. Immolationis Isaaci. X. Mortis & sepulturæ Saræ. XI. Connubii Isaaci cum Rebecca. XII. Nativitatis Esavi & Jacobi. XIII. Primogenituræ

ab Esavo in Jacobum translata. XIV. Peregrinationum & scalæ Jacobæ. XV. Congressus Judæ cum Thamare. XVI. Servitutis Ægyptiacæ. XVII. Mosis nati & ex aquis servati. XVIII. Ejusdem Zipporam ducentis. XIX. Angeli in rubo apparentis. XX. Signorum Mosis imperatorum & *μογιδαλίας* ejus. XXI. Reditus ejusdem ex Midian cum circumcissione Filii in itinere. XXII. Plagarum Ægypti. XXIII. Petræ, baculo Mosis percussæ. XXIV. *Μοχολατρείας*. XXV. XXVI. XXVII. Redintegrati post violationem hanc fœderis divini. XXVIII. Bileami, a Balaco accersiti, ut Israeli malediceret, & consilium perniciosum dantis. Colophonis loco accedunt Responsa Cl. Authoris ad paucas Amici doctissimi in hunc librum *κείσεis*: Et exemplum literarum Theologi Evangelici Doctissimi D. P. C. P. E. P. M. ad Auctorem, cum librum hunc, quem se in lucem protracturum, si pote, receperat, tentata nequicquam editione, remitteret.

Methodus Cl. Authoris ex reliquis ejus scriptis nota est, eandemque Scripturæ sacræ cognitionem spirat, quam universam in enumerato habet. Duo præcipue sunt, quæ fœtum hunc Lectori *φιλοβιβλω* commendabilem reddunt. Prius est, quod pleræque, quæ hic pertractantur, historiæ ab optimis Interpretibus pro typicis habeantur. Evanescit ergo in mysticorum exegesi prætensum novitatis crimen, adeo-

adeoque cupide magis legentur, quæ Cl. Au-
thor ad majorem illis lucem affundendam ex
eruditionis suæ penu protulit. Accedit in-
gens locorum Scripturæ perpetuo quasi flu-
mine citatorum farrago, quæ novis & Cl. Au-
thori privis meditationibus ita passim quam-
vis ἐν παρόδῳ illustrantur, ut attento Lectori
profundius de iis cogitandi aptissima detur oc-
casio, quod mihi in cæteris quoque scriptis
Deusingianis sæpenumero evenisse, ingra-
tus essem, si fateri nollem. Paucis hoc lu-
bet edocere exemplis.

Sic p. 32. docetur 1. Petr. I. 9. per σωτηρίαν
ψυχῶν non propriam tantum sed & aliorum
salutem intelligendam esse. P. 35. 36. demon-
stratur, Jacobum & presbyteros errorem
commisisse, quando Act. XXI. Paullum urge-
bant, ut sanctificaretur cum illis, qui se vo-
to Naziræatus obstrinxerant. P. 70. elegans
datur loci Joh. III. 8. paraphrasis : „Ventus quo
vult, spirat, & sonum ejus audis, sed nescis πόθεν
ἔρχεται καὶ πᾶς ὁπάγει unde veniat & quo vadat h.“
e. Tu, cum cæteris Judæis, regenerationis
ignaris, audis sonum evangelii, per Spiritum
S. e caelo emissum prædicati, sed nescis illud
prodire ex decreto & promissione Dei & con-
tendere ad pessundanda visibilia, cultum le-
gis, templum, urbem, politiam Judaicam,
regnum hominum, & ad erigendum stabili-
endumque regnum Dei, quod nondum vide-
tur,“ P. 102. tractatur de ἀπεκδύσει τῆ σῶμα-

τῶν ἀμαρτιῶν τῆς σαρκὸς ἢ. *exutione corporis*
peccatorum carnis Col. II. II. atque per *corpus*
 intelligitur non corpus uniuscujusque pri-
 vum, sed omnium commune, nec tam cor-
 pus juris Mosaici, quam totus *populus Judaicus*
 cum terra, urbe, templo, politia, quem exue-
 rant Christiani, quando se cum *Evangelio* a
 Judæis, velut anima a corpore, separaverant,
 quo sensu ipse Christus dicitur ἀπεκδυσάμενος
 τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίαις. P. 112. ingeniosa reperi-
 tur distinctio inter duo confinia Ecelesiae præ-
 dicata Ephes. V. 30. 31. quando dicitur *os de*
ossibus Domini, id est *justitia de justitia ejus*, quia
 os signum est roboris, & simul *caro de carne* ejus
 quatenus ipsa adhuc reliquias afflictionum
 Christi in carne sua explere tenetur. P. 129.
 sq. locus Joh. VIII. 56. in quo illustrando Cl.
Heumannus atque *Moshemius* mecum operam
 suam nunc nuper posuere, Vide *Class. I. Fasc.*
IV. p. 473. sq. p. 485. sq. Class. II. Fasc. II. p. 209.
 sq. examinatur, eorumque præfertur senten-
 tia, qui *visionem diei Messiae*, quæ illic *Abraha-*
mo adscribitur, ad apparitionem per tres viros,
 quos noster SS. Triadem repræsentasse existi-
 mat, ei exhibitam referunt. Illa vero, quam ego
 præferendam putavi, variis argumentis, suo
 a me loco, si Deus volet, modeste examinan-
 dis & illic, & in *responsis* p. 713. impu-
 gnatur. p. 187. 188. inter varia ad *Luc. XXIV.*
28. 29. notata, de *προσποιήσει* seu *simulatione*
Domini agitur. Confertur ea cum facto an-
 gelo-

gelorum ad Lothum divertentium, & perhibetur, quod magis veritatis fuerit, quam fictionis. Προσποιεῖν enim non tantum pro fingere, sed etiam pro assumere, profiteri sumi ex *Plutarcho* probatur. Jesum igitur professum esse, se longius iturum, quia nolebat apud discipulos, nedum in Emaunte, typo Judaismi, subsistere, quia brevi in cœlum adscensurus. Verba *Jes. XXVI. 9. Anima mea desideravit te noctu, etiam spiritu meo in medio mei mane quæram te. Nam cum judicia tua in terram fuerunt, justitiam didicerunt habitantes frugiferam; respicere ad judicium Sodomæ, quod Abraham e longinquo spectavit, p. 217. conjicitur. Per arietem Isaaco substitutum p. 277. sq. contra receptas sententias intelliguntur *Judeorum Principes*, bello in Romanos sumto ad extremam perplexitatem adducti, idque per suam petulantiam, qua cornua sua spinis illis & fruticibus sponte inferuerunt. Unde factum, ut certo sensu Judæi injusti redemptio essent pro justis Christianis, quos antitypum Isaaci in hac historia esse censet, utque illi perfidi in horum rectorum locum substituerentur secundum *Prov. XXI. 18. Jes. XLIII. 4. Locus egregius Ps. XLV. II. Audi filia ac vide & inclina aurem tuam, obliviscereque populi tui & domus paternæ tuæ, & delectabitur Rex pulchritudine tua, cumque sit Dominus tuus, incurva te ei; ex historia Isaaci & Rebeccæ p. 303. 304. illustratur. Hæc enim audivit, cum auscultavit vo-**

ci famuli Abrahami ; *vidit*, cum conspexit monile & armillas & instrumenta aurea & vestes ; *inclinavit aurem suam*, cum interrogata, velletne proficisci cum illo viro, dixit, proficiscar ; *oblita est populi sui* & *domus paterna sua*, cum surgens insecuta est virum illum revertentem in Cananæam & ad Dominum suum abeuntem ; *incurvavit se Domino suo*, cum videns Isaacum, se dejecit de camelo, acceptoque peplo operuit se ; *delectatus est Rex pulchritudine ejus*, cum Isaac eam in tentorium matris suæ introduxit. Quam plurima alia ejusdem commatis hinc inde per totum opus sunt interspersa. Unde lectio illius illis quoque, quos Cl. Author, quoad suam de universæ historiae sacrae sensu allegorico sententiam, nondum plene consentientes nactus est, proficua esse poterit. Statuerat diligentissimus Author adungere *expositionem mysticam rituum* & *institutorum Mosaicorum complurium*, uti & *Anatomiam capitis humani mysticam*. Sed instantia typographi, nimiam libri crassitudinem, ut non futuram e re sua, deprecantis, doctissimum Authorem, ut propositum hoc differret, adegit. F. A. L.

Relatio historica,

De mirabili quadam sanatione
mulieris, quae mense Februario
a. clō Iccc XIX. in Ptochotro-
phio Bremensi contigit.

CAtharina *Dahme*, Tedinghusii (quod oppidum olim Archiepiscopo Bremen- si nunc Serenissimo, Principi Guelfer- bytano parens, aliquot Brema milliaribus di- stat) anno 1662. Patre Heine *Dahme*, factore, & Adelheida *Weidmans* in lucem edita à tene- ra ætate morbis omne genus conflictata est. A tertio ætatis anno ter variolis, febrique ar- denti correpta semiparalyſin lateris sinistri contraxit, quæ nunquam deinceps eam pror- fus deseruit. Anno ætatis vicesimo in æde hujus urbis cathedrali primum epilepsiâ ta- cta est, quod mali genus cum expelli nequiret, atque ea proinde ad summam inopiam redige- retur a. 1705. cum ætatis annum ageret octa- vum supra tricesimum in Ptochotrophium hu- jus urbis recepta est, in quo laudabili ac omni- bus imitando exemplo ingenti miserrimorum hominum numero de rebus, non solum ad corporis, quam animæ conservationem per- tinentibus prospicitur egregiè. In eo cum viveret, utereturque ad domandam mali
hujus

hujus vim pharmacis, ita iis benedixit numen
 divinum, ut postquam haud exigua cruoris
 crassi atque foetidi copia per menstrua absces-
 sisset, ab eo prorsus liberata esse videri posset.
 Accidit autem, circa initium anni 1713. ut il-
 la desideraret in gremium ecclesiae Reforma-
 tae recipi, quod crudiores de corporis Chri-
 sti in s. coenâ praesentia, ejusque orali mandu-
 catione cogitationes concoquere nequiret.
 Neque tamen illud ei concessum fuit, nisi post
 crebras constanterque iteratas flagitationes,
 ne forte illa existimaret, se religionis suae mu-
 tatione majorem suorum praepositorum favo-
 rem merituram. Cum autem eo facto socio-
 rum suorum ingens sibi odium concitasset, &
 à quadam mulierculâ, horrendis dirissimisque
 convitiis impetita, & ad orcum nil miseran-
 tem relegata fuisset, id tulit tam iniquo at-
 que exacerbato animo, ut paucis postea die-
 bus eodem, quo antea, Comitali morbo non
 solum tangeretur, sed & omnem sensum mo-
 tumque lumborum, crurum, atque etiam alvi
 ita perderet, ut neque ea movere, neque hanc
 unquam exonerare licuerit, lotium autem sine
 omni perceptione nihil sentienti abscede-
 ret. In desperato hoc rerum statu, cum praes-
 tantissimorum medicamentorum usus adhi-
 beretur nequidquam, biennio elapso, iis por-
 ro uti renuit, omnem suam spem in summo
 medico collocatam esse affirmans, quem si
 vellet, sibi posse esse auxilio esset persuasissi-
 ma;

ma, atque ita abs usu remediorum, ex eo tempore prorsus abstinuit. Interea tamen loci appetitus ciborum cum maneret illibatus & quotidie demenso suo frueretur, obstructâ semper alvo, excrementa quædam duriora, singulis tribus vel sex hebdomadis, &, quod magis mirere, aliquando semel tantum trimestri spatio per vomitum egressit. Rarior erat urina, sed turbulenta, & coloris subviridis. Neque tamen Epilepsia desierat sævire, sed horrendis comitata circumstantiis redibat sæpius. Cum enim paroxysmus deferbuisset, post restitutum reliquorum sensuum usum plane surdâ ac muta reddita est, maxillaque inferior superiori tam arcte erat veluti alligata, ut ne calamum quidem potuisses inserere; atque hæc symptomata tam diu durarunt, donec novum impetum morbus faceret, quo evanescente, non aurium, solum & linguæ, sed & maxillarum usus illi restituebatur. In hoc itaque rerum statu permansit integro sexennio cum tribus hebdomadis, usque ad d. VI. Kal. Martii hujus, quem vivimus, anni, cujus diei vespera, inter horam nonam & decimam singulare sibi aliquid & mirum contigisse constanter adseverat, quod, ut ex ipsius ore hausimus, narraturi sumus. Refert autem, cum in lecto jam per aliquot horas jacuisset, frustra; mulcentem pectora somnum expectasset, sibi visum esse, dexteram suam à quodam esse prehensam; Oculos itaque cum sustulisset, videt omnia circa lectum clara collustrari luce, & simul hominem; candi-

dum instar nivis oculisque præditum scintillantibus, & instar ardentis facis lucentibus, his verbis se alloquentem; *Cape, atque comede, ita convalesces;* (*Nimm hin und is/ so wirst du gesund werden*) tum ori suo offulam inferentem, habentem amygdali magnitudinem, sapientem autem mel, quam, cum ore conaretur eximere, deprehendit, jam liquefactam diffluxisse. Tum, postquam rursus hæc audivisset verba; *Ora, spera, neque animum abjice;* (*Bete/hoffe/ und verzage nicht*) omnia una cum lumine evanuisse. Contigisse hæc perhibentur in hypocausto, in quo plus quam lecti viginti strati erant; Sed omnes, qui in iis ea nocte jacuerant, deinceps interrogati, responderunt, se ea hora jam dormivisse, præter Hermannum Werth, cujus lectus illius sceminæ lecto fuerat maxime contiguus. Is quidem una cum uxore sua testatus est, se cum illa post horam decimam vigilasse, & cæcidisse sermones, nihil tamen quidquam vel oculis vel auribus usurpasse. Id tamen certum est, primo mane sequenti, Damiam nostram hanc rem omnem narravisse Viro, cui pauperum in illa amplissimâ domo cura demandata est, *Patrem* vulgo vocant, qui, cum Vir sit notæ & prudentiæ & pietatis, id egit modis omnibus, ut ab ejusmodi cogitationibus animum ejus abstraheret, persuaderetque hæc omnia vana esse male sani cerebri somnia, fortique tantum imaginationi esse tribuenda. Tantum tamen abfuit, ut illud illi persuaderet, ut e contrario illa in sua sententiâ persisteret serio, affir-

affirmans, se ipso illo vespere præter morem suum exsomnia fuisse, atque inconvivam, non sine propria sua admiratione. Quid sit interea? Labuntur sex dies; nocte autem quæ Kalendas Martias antegressa est, visa est sibi dormiens hanc vocem haurire auribus: *Evigila, quæ dormis, & surge è morte, ut Christus tibi illucescat.* Expergefacta itaque attollit oculos, at nihil videt, sentit tamen in dextero latere motum aliquem, quasi aliquid vivi in eo decurreret, & paulo postea sentit idem in sinistro; Illam autem motiunculam apprehendit mox ad crura transeuntem, deinde in pedes, & denique in eorum extremos digitos. Tenaculum porro lecti arripiens animadvertit sibi vires esse, semet attollendi, atque ab uno latere projiciendi in aliud, id quod integro elapso sexennio nullo modo facere potuit. Illucescente die cum stupore illorum hominum, quorum manibus hactenus in lectum conjici, atque ex eo sustolli consueverat, ipsa surgit sponte sua, vestes suas induit, duobusque suffulta scipionibus hypocaustum perambulat. Altero tertioque die uno tantum innixa baculo gradus ipsos ascendere iisque descendere potuit. Cum autem sequenti die solis ingressa esset templum, frigusque crura læsisset, tumor aqueus apparuit in uno latere magisque ei difficilem facultatem eundi peperit. Ast adhibitis internis juxta atque externis remediis paulatim evanuit tumor, atque ab eo tempore vel sine ope fulcri per ipsos adeo gradus ambulare li-

bere potuit. Et, quod mireris, rediit pariter
statis temporibus depressam hactenus tot an-
nis alvum deijciendi potestas.

Atque hae veræ sunt hujus historiae, cir-
cumstantiæ, quæ non solum in hac urbe sed
& aliis regionibus omnium circumlata sermoni-
bus, variisque, ut fit, judiciis agitata est. Ve-
re hæc omnia contigisse, sumus persuasissimi,
utpote qui ipsi omnes rei circumstantias ex-
cussimus diligenter, atque cum illa muliere,
de qua agitur, collocti sumus serio atque
accurate. Deprehendimus constantem, ne-
que quidquam in narratione sua vacillantem,
at tam insolito Dei beneficio vehementer ta-
ctam, ejusque gratiam in indignissimum ut
loquitur, vermiculum collatam amplissimis
verbis prædicantem. Nulli heic fraudis suspi-
cioni posse locum esse, id quoque scimus. Uni-
cum, pro quo spondere nolimus, est visio il-
la, quam sibi obtigisse narrantem audivimus.
Id tamen quoque certum est, illam perhibuisse,
antequam ulla certa restituendæ valetudinis
ei spes adfulgeret, & deinceps, illud revera sibi
& mentis sanæ compoti, & vigilantibus contigisse,
constanter atque sine ulla fluctuatione coram
innumerabili hominum multitudine omnis
dignitatis atque loci, adseverasse. Pariter id
verum est, eam singularem animi sui fiduciam
præ se tulisse sæpenumero, quam positam ha-
beret in divina clementia, cujus ope ab istis
malis feliciter se liberatum iri se vivere per-
suasissimam declarabat. Si quis nostram nunc
de hac re sententiam exquirat, is sciat nobis esse
cau.

causas, cur in hac causa federe nolimus arbitri. Et, si quis interroget, unde & qua ratione hæc omnia illi acciderint, is idem ferat responsum, quod olim Judæi tulere, à parentibus cæci illius, cui Servator noster oculorum usum restituerat Joh. IX. 20. 21. Scimus hanc fuisse miseram, atque membris sex annis, & eo amplius captam, ut neque alvus neque crura, neque pedes suum officium fecerint. Quomodo autem nunc incedat, atque ambulet, & membra reliqua suo recte munere fungantur, *ἡμεῖς ἔκ οἰδαμεν, αὐτὴ ἡλικίαν ἔχει, αὐτὴν ἐρωτοῦσατε, περὶ αὐτῆς λαλήσει.* Habent interea & Theologi, & Medicorum filii, in quo suam industriam exercent, rem nobis gratissimam facturi, si de hac re cogitare serio, quamque re accuratius deliberatâ demum fecerint cogitationum suarum summam nobis impertiri voluerint.

Non hic quæritur, anne isthæc mulier istis malis tam diu vexata, ab illis feliciter fuerit liberata, neque, an illa sibi ejusmodi visionem contigisse, sibi persuaserit firmiter? De utroque enim nullatenus licet ambigere. Sed cum, quamdiu naturales ostendi possunt causæ ad supernaturales atque extraordinarias non transeundum est, quæritur

(1) Annon diutini temporis morâ obstructio illa nervorum, quam mulier illa passa est, potuerit paulatim resolvi, vel fieri resolubilis, præcipue, cum per illos insultus epilepticos totum nervorum systema sæpius vehementer agitatam ac concussam fuit?

(2) Anne per illam concussionem ejusmodi perceptio potuerit excitari, quâ in eam cogitationem devenit sensim, sibi non omnem sanationis spem esse abjiciendam?

(3) Annon e uscemodi cogitationes tam vivam ejus animo imprimere imaginationem potuerint, ut hoc, quod illi vel vigili, vel dormitanti occurrit, vere sibi apparuisse crederet?

(4) Annon ita corroborata atq; adaucta phantasia potuerit efficere, ut motus ille longe citius in ejus membris restitutus fuerit, quam fortasse alias fuisset factum?

(5) Anne proinde hoc factum potius insolitæ cuidam, legibus tamen naturalibus accommodatæ directioni, quam extraordinario cuidam, consuetumque naturæ ordinem supergresso miraculo adscribendum sit?

Collegium Nobilissimorum atque experientissimorum urbis hujus Archiatrorum, quos *physicos* vocant, post serium rei examen jussu amplissimi Magistratus institutum, has quaestiones sibi verosimiles, atque affirmandas videri, judicavit. Atque in hanc sententiam nos quoque inclinare, nolumus diffiteri, quam nihil certi determinare nunc nobis colubitum est. Liceat tamen coronidis loco aliam huic valde affinem historiam annexere, quam nos olim in libro cui titulus; *Memoires & observations faites par un Voyageur en Angleterre* impresso Hagæ Comitum, 1698. in forma octies partita, cujus auctorem Maximilianum *Missonum* esse dicunt, legisse meminimus. Verba ipsa, uti ibi p. 284. leguntur, exhibebimus. „Le 26.

Novembre 1693. il arriva une chose extraor-
dinaire à Londres, la nommée Marie Mail-
lard, âgée de treize ans & deux mois, fut gue-
rie d'une maniere, que beaucoup de person-
nes sages ont estimeé miraculeuse. A l'âge de
treize mois elle devint boiteuse, & son mal
alla toujours en augmentant, jusqu' au mo-
ment de sa guerison. L'os de la cuisse gauche
dont l'extremite vers la hanche se termine
en rotondite, s'etoit, deboité de l'os cave
qui sent comme d'etui a la rondeur convexe
du premier; & celui-ci s'etoit tellement retiré
de la profondeur de la cavité, & s'etoit en me-
me temps si fort allongé à côté de son lieu na-
turel, que la jambe etoit raccourcie de plus
de quatre doits; le genou tourné en dedans,
& le pied aussi, d'une telle maniere, qu'au
lieu d'appuyer sur la plante, la petite fille ap-
puyoit sur la cheville du pied en dedans. Elle
avoit beaucoup de peine à marcher, & elle
senoit quelques fois de grandes douleurs. Son
corps en marchant, etoit agité par un balan-
cement si grand, que les condes, particulie-
rement du côté gauche, touchoient presque
à terre, à chaque pas, qu'elle faisoit; & cela
la rendoit si ridicule aux petits enfans, qu'ils
la chargeoient de boues & d'injures. Cet etat
boiteux de la jeune fille est bien prouvé, & de
la notorieté publique. Le Dimanche, 26.
Novembre, 1693. comme elle revenoit de
l'eglise, elle fut si mal traitée de la Canaille
qui couroit apres elle, qu'étant arrivée dans
la maison, ou elle demouroit, elle se mit à

„pleurer. Me. deLaulan, a qui elle servoit de
 „l'interprete, lui dit plusieurs choses pour la
 „consoler; & un peu apres la jeune fille prit un
 „Nouveau Testament pour y lire quelques cha-
 „pitres; à l'ouverture du livre, elle rencontra
 „le 2. chap. de S. Marc & se trouvant scanda-
 „lisee de l'incrudulite de Juifs, à l'occasion de la
 „guerison miraculeuse du Paralytique, elle dit;
 „*Je croirais bien, moi, si pareille chose m'arrivoit, &*
 „*je courrois bien viste.* A peine eut elle acheve
 „ces paroles, que sa jambe s'allongea; que l'os
 „de sa cuisse se replaça avec bruit dans le lieu
 „naturel de son emboitement; que son pied &
 „sa jambe se redresserent; que ses douleurs ces-
 „serent; & qu'elle marcha avec facilité. De-
 „puis ce temps la elle n'a souffert aucun mal, &
 „s'est parfaitement renforcée; mais elle est
 „pourtant demeurée un tant-soit peu & pres-
 „que a la maniere imperceptible boi-
 „teuse. La Providence ne l'auroit-elle pas
 „voula ainsi, afin que ce reste d'infirmité lui
 „fut un memorial de sa delivrance? le Lecteur
 „raisonnera sur cela comme il pourra. Je me
 „contenterai d'ajouter, que les deux parties de
 „cette histoire, sont aussi vrayes, & aussi bien
 „prouvées a ceux, qui n'en ont pas ete les te-
 „moins; qu'il est prouvé, qu'il y a une ville,
 „qui s'appelle Rome, & une autre ville, qui s'
 „appelle Constantinople, a ceux, qui n'ont vu
 „ni l'une ni l'autre; *Hæc ille. Confer similem hi-*
storiam apud Blancardum in Collect. Medico-
physicis Cent. III. obs. 49. p. 249. & c. aliamq;
hydropicæ per somnium curatæ in frenwill.
Hebopsf. Tom. I. 4. Beytrag. p. 351. sq. Th. d. H.

Catalogus scriptorum ad Theologiam & Historiam sacram spectantium & inde ab anno 1717. in Ecclesia Reformata editorum, continuatus.

I. Latine. (a)

SAM. WERENFELSII Opuscula Theologica Philosophica & Philologica Basil. 1718. 4. Vide Cl. II. fasc. II. p. 309. & 310.

ALPHONSI TURRETINI *disputatio Theologica de veritate Religionis Judaicae* Genev. 1717. 4. pag. 55. In tres sectiones est distributa, quarum prima veritatem religionis Judaicae adstruit ex ipsa doctrinae praestantia & circumstantiis; altera ex miraculis; tertia ex prophetiis.

CHRISTIANI GERHARDI OFFER AUSII SS; Theol. & Ling. Hebr. Professoris in illustri Daventriensi Athenæo ordinarii *Exercitatio Philologica exhibens synopticam descriptionem Veteris Hierosolymæ Daventr.* 1718. 4. 39. philyrae. Liber hic eleganti methodo est compositus & in brevi gyro multa comprehendit, ea propter antiquitatem Hebraicarum studiosis praë aliis commendandus. Plus quoque praestat, quam in titulo promittit, quia Cl. Author typum sanctæ hujus urbis explicare non superfedit, & praecipue in typo templi Salomonæi accuratus est. Id unum optandum fuisset, ut in gratiam juventutis mappa ichnographiam Hierosolymæ & partium eam conficientium secundum hypotheses doctissimi Authoris exhibens simul ære expressa esset.

JOH. CONR. CLASINGII διασκεψις de unctione sacra typico-umbratili; Vide Cl. I. Fasc. 6. p. 936. & Cl. II. fasc. 2. p. 381.

JOAN. CASP. SANTOROCCI Acad. Marburgens. Professor. Ordinarii, cogitata quædam de stupendo linguarum miraculo, quod Act. Apost. c. II. mirabilem in modum accidit, ubi sub forma dissertationis Academiae accuratius disquiritur, an & quomodo soli Apostoli ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς dona diversarum

farum linguarum acceperint? Marb. Cattor. 1718. 8. philyræ 4. Tres hæc dissertatio habet sectiones. *Prima* accurate probat, linguarum miraculum solis Apostolorum labiis ac linguis unice attribuendum esse. *Alteræ* refutat eos, qui miraculum id in auribus auditorum effectum esse existimant. *Tertia*, velut mantissæ loco moralia quædam ad linguarum miraculum pertinentia, breviter commemorat. In annexis *Salmassi* opinio examinatur & rejicitur, qui miraculum id momentaneum fuisse statimq; cessasse credidit.

JOH. GAGNIER Vindiciæ Kircherianæ sive Animadversiones in novas *Abrahami TROMMII* Concordantias Græcas Versionis vulgo dictæ LXX. Interpretum. I. Defenduntur ac vindicantur Contr. Kircheri Concordantiæ Græcæ adversus injustas Abr. Trommii accusationes. II. Ostenditur novam editionem Trommianam adhuc gravissimis defectibus & vitiis laborare. III. Proponitur recta ac genuina methodus, qua meliores accuratiores & commodiores Concordantiæ LXX. Interpretum de novo ac facilius condantur. Oxon. 1718. fol. 20. pag. Nempe quia Cl. *Gagnerius* ante aliquot annos consilium ceperat publicandi easdem Concordantias ab Henrico *Savilio* concinnatas, methodo aliquantum diversa, quod tamen institutum reliquit ex quo de opere Trommiano ejus titulum Cl. I. fasc. 1. p. 174. exhibuimus jam præla fatigante ei constitit, hinc crisin suam in opus illud imminenti laboris, nec minoris utilitatis, ei exercere placuit. Respondit ei Trommius sequenti scripto.

Epistola Apologetica *ABRAHAMI TROMMII* Groningani SS. Th. D. & V. D. M. ad doctissimum Virum *Job. Gagnerium* Oxoniensem, A. M. qua se suasque Concordantias Græcas in LXX. Interpretes nuper a se editas modeste tuetur, contra Animadversiones hujusce doctissimi Viri, recens Oxonii impressas, ac publici juris factas. Amstel. 1718. 4. Vide de his Biblioth. ancienne & moderne T. X. p. 11. sect. 5. 6. 7. 8.

WICLEFUS, Oratio Academica dicta statis Academicæ & Scholæ Genevensis solennibus a B. PICTETO, Genevæ 1718. 4. pag. 31.

LACTANTII FIRMIANI Epitome divinarum institutionum

tionum ad Pentadium Fratrem. Eam ex vetustissimo MS. Taurinensi nuper editam recensuit ac emendavit JOH. DAVISIUS, Juris & Theologiæ Doctor. C. R. C. M. C. E. Cantabrigiæ 1718. 8. pag. 159.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI, Carthaginensis Presbyteri, APOLOGETICUS ad Codices MStos & Editiones veteres summa cura recognitus, castigatus, emendatus, ut & perpetuo Commentario illustratus, Authore SIGIBERTO HAVERKAMP V. D. M. cum fig. æneis. 8. charta maj. pagg. 443. præter præf. & indices. Vide Boeksaal M. Aug. 1718. pagg. 200. sq.

Theodori HASÆI de lapide fundamenti cui olim fœderis arca imposita fuit Dissertatio. Erf. 1718. 4. Vide Cl. 1. fasc. 4. pagg. 460. sqq.

Sancti CLEMENTIS ROMANI ad Corinthios Epistolæ duæ expressæ ad fidem MSti Codicis *Alexandri* collati cum Editione Junii a Millio & Græbio: illustratæ notis JUNII & COTELERII, nec non Joh. BOISSII olim Canonici Eliensis, non antehac editis. Cum MS. Cod. accurate de novo contulit, notisque eas illustravit & Textum plurimis in locis emendavit; præfationem etiam de usu Patrum præcipue *Apostolicorum*, ac dissertationes duas, alteram de *divinitus instituto Clero*, de *Unitate Ecclesiæ* alteram, præmisit HENRICUS WOTTON Coll. Sti Joh. Evang. A. M. &c. Cantabrigiæ 1718. 8. pagg. 584. Recensetur in Biblioth. Angl. T. IV. p. 118. sq. & Act. Erud. Lips. a. 1719. p. 104. sq.

Disquisitiones modestæ in Clarissimi Bulli *Defensionem Fidei Nicaenæ*, Authore Daniele WHITBY D. D. Londini. 1718. 8. pagg. 198. præter præfationes. Excerptis Biblioth. Angl. T. IV. p. 149. sq.

Joh. Arn. NOLTENII de *Judicio sanctorum in mundum & angelos* ad locum I. Cor. VI. 2. 3. Bremæ (non Uratislaviae ut in aliis diariis notatum est) 1718. Vide Cl. 1. fasc. 4. pag. 577. & 578. & Journal de Sçavans M. Nov. art. 9.

Henrici Jacobi van BASHVYSEN, S. Th. D. & Professoris in Ill. Gymnasio Serevestano &c. Exercitationes ad compendium *Oeconomiarum Dei* Wilhelmi MOM-
MÆ

MÆ in usum auditorii sui editæ, *Servestæ* 1718. 8. Alph. I. Vide *Act. Erud. Lips.* a. 1719. p. 111. sq.

Wilhelmi MOMMÆ de *varia conditione & statu ecclesiae Dei sub triplici OECONOMIA Patriarcharum ac Testamenti V. & N.* L. III. recusati sunt duobus tomis quartum *Basileæ*, 1718. 5. alph. in 4.

Joh. Georg. BELLERSHEMII *exercitationes Typico-propheticae*; Vide *Cl. l. fasc. 6. p. 879. sqq.*

Joh. VORSTII *Dissertationum Sacrarum Theologico-Philologicarum* L. III. quibus de *Auctoritate Antiquitatis Ecclesiasticae*, de *usu rationis in rebus Theologicis*, deque multis *S. Scripturae locis rectè interpretandis* differitur. *Daventriae*. 1718. 4. alph. 4. 6. pl. Est altera editio libri, qui jam a. 1662. *Amstelodami* prodit.

Antiquarius sacer. Seu opus Philologicum, in quo quam plurima dubia vexata atque obscuriora *Sacrae Scripturae dicta* illustrantur atque examinantur, cum mantissa *dissertationum* I. de *mari æneo Salomonis*. II. de *sepulchro Adami & Epitaphio in insula Zeilon invento*. III. de *possibilitate linguæ universalis*. IV. *Omina bruta*. V. *Descriptio machinæ, pro invenienda longitudine locorum*. Authore *Conrado MELL*, SS. *Theol. D. Soc. Angl. de propaganda fide & Boruss. Scientiarum Membro. ac Inspectore Hersfeldensi* *Hersf.* 1718. 4. Altera hæc editio priori longe auctior & locupletior figurisque æneis ornata est. Alphabeticis constat circiter 2½. præter *indicem & præfationem*, in qua *fusiore operis miscellanea ex antiquitate sacra exhibituri spes excitatur*.

Apologia pro Vera & Saniore Philosophia, quatuor partibus comprehensa authore *Ruardo ANDALA*, *Philos. & SS. Th. D. & Prof. Franckeræ*. 1718. 4. p. 214.

Cartesius verus Spinosismi Architectus, sive uberior Assertio & Vindicatio tractatus, cui titulus *Cartesius Spinosæ præluces*, antehac *veinaculo sermone editi*; quibus quam clarissime nec non certissime demonstratur in *Cartesio* reperiri *primaria fundamenta Spinosismi*. Authore *Johanne REGIO* *Med. & Philos. Doctore hujusque Profess. Leovardix* 1718. 8. pag. 230. præter *præfationem & indicem*.

H. DEUSINGII *Moses Evangelizans*. Vid. *Supr. p. 752.*